DE CIVIBUS ROMANIS
IN PROVINCIIS IMPERII CONSISTENTIBUS

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIX. M. DECEMBRIS A. MDCCCLXXXXI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ERNESTUS KORNEMANN

HASSUS.

ADVERSARII ERUNT:

W. Henze, Drd. phil.

L. Pallat, Dr. phil.

F. Münzer, Dr. phil.

BEROLINI.

TYPIS EXPRESSIT MARTINUS OLDENBOURG.

MDCCCLXXXXI.

OTTONI HIRSCHFELD

SACRUM.

»Hic mutat merces surgente a sole ad eum quo
vespertina tepet regio, quin per mala praeceps
fertur uti pulvis collectus turbine, ne quid
summa deperdat metuens aut ampliet ut rem.«

Hor. sat. I. 4. 29—32.

Praeclarissimum illud Senecae[1]: »*ubicumque vicit Romanus, habitat*« omnibus temporibus, quibus Romanorum respublica maxime florebat, a prima aetate urbis usque ad saeculum secundum p. Chr. n., quoad erat illis excrescendi terminosque imperii propagandi vis atque facultas, plurimum valebat. Quotienscumque enim nova regio armis legionum erat subacta, partim a senatu populoque coloni in loca opportuna atque idonea deducebantur, partim homines privati statim cupiditate rem suam augendi ad exteras nationes rapiebantur. Sed haec quidem tum demum fieri potuerunt, cum ea, quae maxime opus sunt ad negotiandum atque mercaturas faciendas, populo Romano suppetebant: desiderium illud primum, quo homines impelluntur, ut plus, quam quae sunt ad vivendum necessaria quaeque ad quotidianum usum victumque pertinent, sibi parent, deinde abundantia pecuniae, qua optatis illis satisfacere possunt[2]. Quam ob rem factum est, ut antiquis temporibus liberae reipublicae, quibus Italia ipsa in Romanam dicionem redacta est, coloniis Romanis latinisve constitutis victores devictas terras occuparent et obtinerent, postea cum extra Italiam imperii fines promoverentur, qua aetate civitas Romana erat maxime corroborata atque utrumque illud, quod fundamentum commercii principio posuimus, iam dudum exstabat, provinciae praecipue hominibus privatis ibi sedes collocantibus, ubi in variis negotiis generibusque quaestus faciendi versabantur, permitterentur. Nam Romani illo-

1) ad Helv. m. VII 7.

2) Voigt, ius naturale II p. 586–92.

rum quidem temporum liberae reipublicae exteris gentibus victis, etiamsi sociorum nomen iis non abnuebant, tamen potentia sua imperiique magnitudine ita utebantur, ut suis civibus, ubicumque consistebant, praecipue faverent eosque, quominus facultates suas provincialium spoliis augerent, non prohiberent. Atque cum multis vel iustis vel iniustis[1]) commodis, tum iure commercii, i. e. emendi et vendendi, quodcumque Romani volebant, omnibusque locis, quibus iis placebat[2]), haec prospere succedebant, praesertim cum hoc ius eodem tempore illis tribueretur, quo singulis inter se oppidis atque civitatibus provinciarum plerumque adimebatur[3]).

Sed civibus Romanis antiquorum temporum duae tantum rationes quaestus faciendi videbantur honestae esse, primum collocandi pecunias in fenerando, unde in urbe feneratores[4]) dicebantur, deinde venditandi fructus agrorum. His igitur negotiis Romani primo plurimi etiam in provincias ducebantur ibique ii soli, qui hoc modo lucrum faciebant, per longum temporum spatium usque ad initium principatus negotiatores[5]) vocabantur. Quos, quod erant equites Romani maximam partem atque sum-

---

1) cf. Cic. ep. ad fam. VIII 9. 4.

2) ius commercii etiam in terris extra imperii fines sitis, quibuscum foedus erat initum, civibus Romanis hoc foedere reservatum esse videmus ex Taciti narratione in Ann. II 62.

3) Kuhn, Die städt. u. bürgerl. Verfassung des römischen Reichs II p. 7—12.

4) Eiusmodi in provinciis negotii gerentes nonnumquam item feneratores nominantur: Cic. ad Att. V 21. 12; Liv. 32, 27.

5) Haec dilucide exposuit Ernesti in praeclarissima dissertatiuncula, quam inscripsit »De negotiatoribus Romanis« in Opusc. phil. et crit. p. 3—20. Hunc unum locum addam ad eos, quos vir doctissimus permultos attulit, ubi illa duo genera negotiatorum acute distinguuntur, i. e. apud Plut. Cat. min. c. 59: *Ῥωμαίους μὲν ὄντας, ἐν δὲ Λιβύῃ πραγματευομένους ἀπὸ ἐμπορίας καὶ δανεισμῶν.* Mercatores autem primo ii soli appellabantur, qui mercaturam tenuem habentes cum mercibus suis commeabant in provincias. cf. Caes. bell. Gall. I 1. IV 3. 3. Cic. in Verr. II. 3. 6. Sed haec est sermonis consuetudo sola optimae latinitatis, postea vocabula »*negotiatores*« ac »*mercatores*« promiscue usurpantur.

mis opibus praediti, primum semper locum tenuisse inter cives Romanos provinciarum iam constat ultroque dissertatione nostra docebitur. Praeter negotiatores autem ex ordine equestri publicani in plurimas provincias effundebantur, qui tributa vectigalia cetera publica conducta habebant. Omnium vero ordinum homines erant aratores, qui praedia partim emerant ipsique colebant, partim magna spatia agri publici aut decumani conduxerant. Adde pecuarios, qui pascua aut possidebant aut redemerant publicanisque scripturam solvebant. Neque ita multo post ex civibus Romanis mercatores etiam et navicularii in maximis portibus emporiisque imperii versabantur. Quorum omnium ii, qui aut negotiari aut arare aut pascere solebant, sedes ac domicilium in provinciis collocabant, ceteri diutius extra urbem Romam in provinciarum oppidis, ubi negotia habebant, commorari coacti erant[1]).

Quam autem multi cives brevi tempore in occupatas regiones ingressi sint, elucet inde, quod Ciceronis aetate iam per omnes fere provincias hi quasi alterum quoddam genus incolarum a provincialibus separatum[2]) atque multis privilegiis commodisque exornatum maxime florebant praeter ceteros. Tum vero expilatio direptioque sociorum, qui nihil societatis nisi hoc nomen inane a dominis suis concessum servaverant, ad id progressa erat, ut illi potissimum, qui ex ordine equestri erant, publi-

---

1) De his variis generibus civium Romanorum in Sicilia consistentium Cicero l. l. (cf. etiam ibidem c. VI 15—17) disseruit. Quod attinet ad Galliam Narbonensem, haec comprobantur quibusdam orationis pro M. Fonteio locis. Ibi V 12 (I. 2) e. c. enumerantur: negotiatores, publicani, aratores, pecuarii. De Asia vide Ciceronis orationes pro Flacco et pro lege Manilia habitas atque ep. ad Quintum fratr. I 1; de Cilicia ep. ad Att. libros V et VI.

2) Cic. ep. ad Quint. fr. I 1. 6: »*Constat enim ea provincia* (scil. Asia) *ex eo genere sociorum, quod est . . . . ., deinde ex eo genere civium* cet.« — In orationibus contra Verrem saepissime opponuntur Siculi et cives Romani in Sicilia negotiantes. — In Gallia Narbonensi praeter indigenas tria genera habitatorum dicuntur, primum cives Romani coloniae Narbonensis, tum Massiliensium civitas foederata, numerus denique civium Romanorum per provinciam consistentium.

cani et negotiatores tamquam hirudines, ut ita dicam, qui sanguinem nervosque provinciarum exsugebant, viderentur[1]). Totam enim argentariam negotiatores Romani in provinciis in manibus habebant, ut Cicero de Gallia Narbonensi dicere posset »*neminem Gallorum sine cive Romano quidquam negotii gerere, nummum in Gallia nullum sine civium Romanorum tabulis commoveri*«[2]). Atque in hac ipsa ratione quaestus faciendi neminem nisi civem Romanum versari potuisse, sive hoc factum est illis privilegiis Romanorum, quibus, ut peregrini homines cum his concertarent, fieri non poterat, sive ita a senatu Romano constitutum erat, apparet ex ea re, quod vox illa, quae est »*negotiatores*«, idem significatione valet ac cives Romani saepiusque apud Ciceronem horum loco negotiatores provincialibus opponuntur[3]), sicut nos paene, cum dicimus »*Banquier*«, sem-

---

1) Publicani igitur atque negotiatores maxime etiam provincialibus odio erant. cf. Cic. in Verr. l. II 3. 7.

2) Cic. pro Font. V 11 (I 1).

3) Cic. in Verr. l. IV 24. 54: »*quanti testis Siculos, negotiatores fecerit*«. — ib. l. III 18. 45: »*an ab Siculis . . . . . negotiatoribusque Siciliae doctus est?*« — ib. l. V 4. 8: »*Etenim cum nihil tam coniunctum sit, quam negotiatores nostri cum Siculis*«. — ep. ad Att. II 16. 4: »*universae Asiae et negotiatoribus*«. — ad Quint. fr. I 1. 2: »*dum saluti sociorum consulo, dum impudentiae nonnullorum negotiatorum resisto*«. cf. etiam Sall. Iug. 26. 3: »*Numidas atque negotiatores.*« — Sed valde mirum est, si praeter cives Romanos in duobus scriptorum locis negotiatores afferuntur, quippe qui illis necessario iam contineantur. Orationis enim pro Fonteio initio, quem locum paulo antea laudavimus, haec legimus: »*referta Gallia negotiatorum est, plena civium Romanorum*« et apud Velleium II 110: »*oppressi cives Romani, trucidati negotiatores*«. Quae nullo alio modo explicari posse iudico, nisi inde, quod negotiatores inter omnes cives Romanos provinciarum ordine atque pecuniis, plerumque etiam numero primum locum habebant, id quod comprobatur illo Verrinarum loco (l. II 13. 34), quem infra accuratius interpretabimur. Atque illos praeter ceteros numero praevaluisse Ciceronem l. l. exprimere in animo habuisse ex adiectivo illo »*refertus*«, cognoscitur. Apud Velleium vero inter se opponuntur verba »*oppressi*« et »*trucidati*«. Negotiatores a seditiosis trucidati sunt, quia locupletissimi erant eamque ob rem maxime odiosi, ut iam supra dictum est, ceteri cives tantum subiecti atque oppressi.

per Iudaeum animo praecipere solemus. Sed omnes, quocumque modo sive honeste fenerando aut arando, sive inhoneste merces importando et exportando rem familiarem in provinciis augebant, civitas Romana universis communis inter se coniunxit communiaque privilegia atque commoda, quae ius praecipuum consequebantur, a sociis atque provincialibus segregabant. Adde auxilium praesidiumque, quod apud peregrinos consistentes inter se praebere potuerunt, cultus eorundem deorum, consuetudinem denique moresque eosdem, quibus ex eadem origine orti utebantur. Quid ergo? ex hac ipsa rerum natura nonne necessario consequebatur, ut omnia genera horum civium apud exteros inter se coirent societatesque efficerent, ut commoda sua servarent, auxilio sibi essent consociatique viribus collatis etiam ea assequi conarentur, quae singulis adipisci nescio an nunquam licuerit?

Antequam autem accedimus ad has congregationes illustrandas, quas tractandas nobis proposuimus, haec breviter attingamus: Quod enim diximus paulo antea civitatem Romanam potestatem fruendi illis omnibus privilegiis commodisque commercii dedisse, hoc recte spectat ad tempora sola post bellum sociale cum Italicis gestum, non ad aetatem antiquiorem. Nam his temporibus non modo cives Romani, sed etiam socii nominis latini eisdem commodis fruebantur, id quod ex duobus locis Livianis[1]) dilucide apparet. Quae autem gentes Italiae hac significatione sociorum latini nominis apud illum rerum scriptorem comprehendantur, haud facile, ut est eius usus loquendi in his potissimum verbis valde incertus, cognosci potest[2]). Nam omnes eiusmodi formulae, quae sunt »*socii ac nominis latini*« vel »*socii ac nomen latinum*«, vel »*socii latini nominis*« ceterae minime

---

1) Ex Liv. 38. 44. 4., ubi foedus cum Ambracia a. 587/167 ictum expositum est et 40. 42. 4., quo loco legimus Duronium, qui praetor ex Illyrico redierat, Romam nuntiavisse (a. 574/180) Gentium regem »*multis civibus Romanis et sociis latini nominis*« iniurias fecisse »*et cives Romanos dici Corcyrae retineri*«. Ex his quoque verbis intellegitur socios latini nominis eisdem commodis, quibus Romanos, usos esse, quia pariter indigenis regique eorum odio fuisse videntur.

2) Kiene, Der röm. Bundesgenossenkrieg. p. 112—119.

accurate inter se distinguuntur[1]). Mommsen quidem omnes socios Italicos has formulas complecti potuisse iudicat eandemque sententiam in explicando illo de senatusconsulto, quo res Ambraciensium ordinabantur, loco sequitur[2]). Contra Kiene[3]) eos, qui ex foedere naves Romanis praebebant — maximam partem urbes graecae Italiae inferioris — inter »*socios ac nomen latinum*« numerandos esse negat, id quod illis ipsis, quae Livius de conscribendis copiis multis locis afferat, comprobetur. Praeterea in lege agraria a. 643/111[4]) verbis »*socium venominisve latini*« haec addi: »*quibus ex formula togatorum milites in terra Italia imperare solent*«, quomodo plane ac diserte hoc genus sociorum Italicorum significatum esse mihi quoque videtur. Quae si ita sunt, nemo Italicorum socius nominis latini dici potuit, nisi qui inter togatos erat. De significatione autem, quae est vocis togati Mommsen[5]) ipse sic iudicat: »*die unter Roms Führung vereinigten Heergenossen hiessen togati und die süditalischen Griechen waren dabei ausgeschlossen*«. Eosdem igitur ne in sociorum nominis latini numero quidem fuisse cum Kienio equidem censeo, quia socii nominis latini erant pars togatorum. Horum autem altera pars erant Romani ipsi et cives cum iure et sine iure suffragii. Itaque pro formula »*Romani ac socii nominis latini*« illis duobus apud Livium locis omnes togati dici potuerunt. Atque his solis ex sociis Italicis, quippe qui eadem veste exornati intra Italiae fines multo meliore condicione uterentur, quam ceteri, etiam apud exteros omnia commoda atque privilegia commercii victores praebuisse velut suis civibus non mirum est. Mommsen autem illud, quod censet, eadem Romanos omnibus urbibus graecis Italiae, quae naves mittebant magnaque ex parte tributum solvebant[6]), concessisse,

---

1) Mommsen St.R. III p. 637. adn. 2. 661. 662. et adnot.

2) ibid. p. 647. et adn. 3. 3) l. l. p. 32.

4) lin. 21. et 50. cf. Liv. 22. 57. 10. vide Mommsenum St.R. III p. 674 adn. 1. 5) St.R. III p. 647 et p. 222.

6) cf. Liv. 26. 39; 36. 42; 42. 48; 40. 18; 35. 16: »*qui enim magis Smyrnaei Lampsacenique Graeci sunt, quam Neapolitani et Regini et Tarentini, a quibus stipendium, a quibus naves ex foedere exigitis?*«

argumento quoque ex illa voce »*Italici ('Ιταλικοί)*« sumpto confirmare conatus est, quae vox ad significandos incolas ex Italia ortos et in titulis graecarum partium imperii et apud scriptores cum latinos tum graecos persaepe invenitur. Quod vir doctissimus eodem loco[1]) qua ratione hanc significationem Italicorum natam esse putet, praeclarissime exposuit, primo a victis Graecis victores sic appellatos esse, postea victores ipsos, ut saepius multis in rebus eos fecisse accepimus, huic consuetudini se accommodasse, nobis quoque probatur, praesertim cum non ignoremus nummos, mensuras, pondera omnia a Romanis apud Graecos importata semper toto Oriente non Romana sed Italica esse nominata[2]). Sed nobis verisimillimum videtur hoc nomine comprehensos esse ab illis omnes eos, qui praecipuo iure atque privilegiis multis eademque veste exornati ex Italia veniebant omnique paene commercio potiebantur, i. e. togatos solos, non omnes, quicumque ex Italia immigraverant; Italicos igitur nihil aliud ac nomen alterum togatorum apud Graecos usitatum fuisse iudicaverimus. Quod valde confirmatur loco Sallustiano[3]), ubi eidem homines ex Italia Cirtae consistentes et togati et Italici appellantur. Neque vero illud negligendum est, quod Romani atque Italici, quos hoc nomine significatos esse nos quidem putamus, nunquam urbem locumve eum, ex quo originem ducunt,

---

1) St.R. III p. 648.

2) Mommsen l. l. et Herm. vol. XXI p. 411 sqq.

3) bell. Jug. 21. 3. et 26. 1. 3. cf. etiam Appiani Mithr. 22. et Cic. pro Flacco 25. 61. Ille multitudinem Romanorum sociorumque latini nominis, qui in Asia Mithridatis nutu trucidati erant, Italicos, Cicero togatos significat. Apud hunc nomen togatorum etiam post bellum sociale in usu erat, cf. in Verr. l. II 62. 153: »*sive togatum sive Siculum*«; ibid. 63. 154: »*et Siculis et togatis*«; 69. 166 cet. Atque etiam illa verba afferenda sunt in Verr. l. V 60. 157: »*qui* (cives Romani) *apud barbaros propter togae nomen in honore aliquo fuissent*«. — Inter graecos et latinos scriptores haec est ratio: apud illos semper nomen Italicorum usurpatur, apud hos plerumque togatorum, sed nonnumquam etiam Italicorum, quam vocem in eorum libros, ubi ex fonte graeco hauserunt, irrepsisse nescio an conicere liceat, velut apud Livium, ubi Polybium secutus est.

in titulis afferunt (quod mirum videri non potest, quia parvi momenti erat), cives ex graecis Italiae urbibus patriam nomini adponunt, velut in titulis deliacis secundi atque primi saeculi ineuntis a. Chr. n. de hominibus Neapolitanis[1]) atque Tarentinis[2]) videmus. Unde elucet togatos socios artius cum Romanis statim coniunctos horum republica iam sublatos fuisse, Graecos Italiae, ut ceteros peregrinos incolas imperii, extra hanc societatem permansisse. Universi igitur togati, apud Graecos Italici nominati, qui primum locum in imperio habebant, se, si apud exteros in provinciis sedes collocaverant, consociabant. Quare, si ad aetatem ante bellum sociale spectamus, non de civium Romanorum, sed de togatorum vel Italicorum congregationibus nobis tractandum erit.

Sed illud valde respiciendum est, quod, postquam omnes Italiae incolae usque ad Padum flumen cives Romani facti sunt, etiam tunc et apud scriptores[3]) et in titulis[4]) graecarum partium non cives Romani, sed saepius Italici dicuntur usque ad Caesaris dictatoris tempora. Haec autem ea re explicanda esse Mommsen[5]) iudicat, quod anno 665/89 Gallia transpadana iure Latii donata magis magisque Italiae annumerata sit, ut nondum omnes Italici cives Romani fuerint nomenque Italicorum usque ad annum 705/49, quo Caesar Transpadanis quoque civitatem Romanam dedit, ad omnes habitatores paeninsulae usque ad Alpes appellandos usurpatum sit. Sed plus valuisse mihi videtur huius nominis consuetudo in graecis provinciis imperii et apud graecos scriptores, sicut etiam latinos nomine togatorum post illud bellum usos esse iam commemoravimus[6]). Quantopere

---

1) CIGr. 2299; Bull. d. cor. Hell. I p. 87 (app. n. 22); VI p. 492; VIII p. 488.

2) ibid. I p. 87; vide Schoefferum, de Deli ins. rebus p. 188 atque quae infra de societate Italicorum Deliaca exponuntur.

3) Appiani bell. Mithridat. 22 (vide de hoc loco Mommsenum St.R. III p. 649. adn. 2); Diod. V 26. 3; Auct. bell. Africani 36.

4) CIL III. 531. a. 683/71. (app. n. 2.); ibid. 532. a. 687/67. (app. n. 3.); ibid. Suppl. 7237. a. c. 668/86. (app. n. 32.); Bull. d. c. Hell. VIII p. 146. a. 680/74. (app. n. 21).

5) St.R. III p. 649. 6) vide p. 7 adn. 3.

vero illa vox in graecis terris in usu fuerit, ex senatus de Asclepiade consulto apparet, ubi non iudices Romani, sed Italici (»Ἰταλικοὶ κριταί«) afferuntur[1]). Quibus ex verbis senatum ipsum huius loquendi consuetudinis rationem habuisse videmus. Similiter cives Romani apud Graecos consistentes hanc eorum consuetudinem servasse consentaneum est, maxime donec, ut socii latini iuris, si illud Mommseni argumentum respicimus, in societatibus illorum exstarent, fieri potuit. Sed ab aetate Caesaris dictatoris, postquam tota Italia civitatem Romanam accepit, nomen Italicorum illis in provinciis habitantibus negotiatoribus ex Italia ortis numquam fere datur[2]), neque quisquam nisi civis Romanus in eorum congregationibus fuisse videtur, vel, ut aliter dicam, ab his temporibus sola civitas Romana commune vinculum fuit omnium negotiatorum, aratorum, ceterorum, qui in oppidis provinciarum domicilium collocaverant. Nam tum, cum tota Italia ad civitatem Romanam pervenit, hoc ius valde auctoritate crevit omniaque iura peregrinorum, maxime ius Latii vi gravitateque minus ac minus valebant. Haec autem nusquam melius cognosci possunt, quam apud has congregationes negotiatorum mercatorumque, quorum in fenerando atque mercaturas faciendo privilegia et commoda singulis temporibus ex iure civitatis suae derivantur.

I.

Quoniam varia genera hominum ex Italia in provincias imperii negotiandi causa immigrantium, quos quaestus exercuerint, quodque ius diversis temporibus eosdem inter se coniunxerit, breviter perstrinximus, animos advertamus ad congregationes eo-

---

1) Bruns Fontes iuris[5] p. 160.

2) postremum a. 708/46. cf. Auct. belli Africani l. l.

rum ipsas illustrandas[1]). Atque primum mihi quaerendum esse videtur, quo modo hae societates appellatae sint, maxime quid nomen conventus sibi velit, quaeque sit prima ad constituendos conventus vel congregationes condicio; deinde, qua forma compositae quoque modo rectae sint, atque quae ratio fuerit inter eas et magistratus Romanos provinciis praepositos et civitates peregrinae condicionis vel liberas, in quibus cives Romani consistebant; tum ubi primae congregationes ortae sint, quam late patuerint per provincias, quidque earum finem fecerit; quatenus denique congregationes civium Romanorum ad castra stativa consistentium, quae vulgo canabae nominantur, cum illis societatibus in interioribus partibus imperii cohaereant.

Ac primum quidem varia sunt genera appellandi, praecipue in titulis[2]), quibus aut aliquo in loco, aut aliqua in regione provinciave cives Romanos domicilium habuisse docemur, ex quibus ipsis minime apparet hos inter se coniunctos fuisse corpusque aut collegium effecisse[3]). Saepissime enim nobis occurrunt:

---

1) Unus exstat libellus de eadem re i. e. Car. Morelii, qui inscribitur »*les associations de citoyens Romains et les curatores c. R. conventus Helvetici*, Lausanne 1877«, ubi vir doctissimus, ut ex ipso dissertationis titulo intellegitur, a conventu Helvetico profectus praecipue civium Romanorum in occidentis partibus imperii congregationes illustravit. Distinguit autem societates eas, quae certis in locis provinciarum constitutae sint, deinde quae cives intra dioeceses provinciarum consistentes contineant, eas denique, quae latius per totas provincias pateant. Illis uno loco aut per dioeceses consistentibus praeesse curatores, his maioribus summos curatores putat.

De civibus Romanis ad castra stativa consistentibus Mommsen (»*Die römischen Lagerstädte*« Herm. VII p. 299 sqq.) praeclare disseruit simulque occasione data, quid de conventibus civium Romanorum sentiret, breviter docuit (ibid. p. 319—321), quam sententiam iterum in disputatione illa, quam inscripsit »*Schweizer Nachstudien*« (Hermae vol. XVI p. 477—483) exposuit. Mommseno conventus civium Romanorum publica auctoritate instituti videntur, quibus cives dioecesive in provinciis consistentes comprehendantur.

2) Plurimos titulos, qui huc pertinent, Mommsen composuit ad CIL III. Suppl. 7240.

3) cf. Herm. vol. VII p. 321 adn. 1.

»*cives Romani, qui consistunt*«, aut »*consistentes*« alicubi, graece »*οἱ κατοικοῦντες Ῥωμαῖοι*«. Quae vis autem insit in verbo »*consistere*«, praeclarissime Mommsen duobus locis[1]) exposuit. Est proprium ac tritum illud verbum, quo, si quem ad locum spectat, significatur multitudinem hominum, aut singulos cum nonnullis sociis illo loco diutius commorari, cum hominis ex aliquo oppido origo genetivo urbis nominis aut adiectivo explicetur. Itaque hoc verbum eis, quibus aliquis civis, non incola urbis oppidive esse dicitur, duas in partes oppositum est: si »*consistere*« cum nomine alicuius loci coniungitur, aut hic locus is est, ex quo origo civis omnino duci non possit, aut eos homines, qui alicubi consistentes nominantur, non esse cives urbis eius, in qua commorantur, indicatur. Illa ratione vox usurpatur primum ad locum congregandi describendum[2]), qui idem posteriore latinitate »*consistorium*« nominatur, tum, si domicilium est vicus vel locus oppidumve aliud sine iure urbis constitutum, velut plurimae civium Romanorum in occidentis partibus congregationes atque canabae legionum erant ordinatae[3]). Altera ratione autem vox, si coniuncta est cum nomine urbis alicuius, referenda est ad eos homines, qui in illa urbe non sunt cives, sed tantum diutius ibi commorantur[4]). Quomodo vero inter se differant urbis incolae et consistentes, cognoscitur ex loco illo

---

1) Herm. l. l. p. 309 et adnotationes; Correspondenzblatt der Westdeutschen Ztschr. f. Gesch. u. Kunst VIII 1 p. 19—28. cf. etiam Neues Arch. f. ältere deutsche Geschichtsk. XIV p. 528 sq.

2) saepius in titulis urbis Romae et Luguduni, velut apud negotiatores vinarios ibidem, qui dicuntur »*Luguduni in Kanabis consistentes*«. cf. Fest. p. 333 (ed. Müll.) »*in Aventino aedis Minervae, in qua liceret scribis histrionibusque consistere ac dona ponere.*«.

3) Non sollemniter hoc verbum adhibitum esse mihi videtur in rescripto Severi et Antonini a. p. Chr. 203; cf. fragm. Vatic. 247, (p. 74 ed. Momms.).

4) Excipiendi sunt pauci tituli Lugudunenses, qui aliter explicari possunt; cf. Mommsen altero loco, quem supra laudavimus. Perverse propter hos potissimum titulos iudicat de verbi »*consistere*« usu Maué in Philol. vol. 47 (1889) p. 487—513.

Ulpiani[1]), ubi exstat: »*si quo constitit, non dico iure domicilii, sed tabernaculum, pergulam, horreum, armarium, officinam conduxit ibique distraxit, egit, defendere se eo loco debebit*«. Unde efficitur consistentibus non, ut incolis, ius domicilii opus fuisse, sed nihil aliud debuisse in ea urbe, in qua habitabant, nisi ius petere. Ex eiusdem autem iuris consulti verbis in eodem capite Digestorum paulo antea positis[2]) apparet etiam cives Romanos, altera formula significatos, i. e. verbis »*qui negotiantur*«, graece »*οἱ πραγματευόμενοι* (*οἱ συμπραγματευόμενοι*«), »*οἱ ἐργαζόμενοι*« aliquo loco, — quae formula cum apud scriptores, tum in titulis admodum pervulgata est, — idem debuisse, i. e. ibi se defendere, ubi negotia gerebant[3]). Unde cives Romanos sic appellatos etiam consistentes alicubi fuisse intellegitur. Sed eiusmodi in titulis verborum »*negotiari*«, »*πραγματεύεσθαι*« vis mihi latius patere videtur, quam nominis »*negotiator*«, ita ut omnes Romani, qui quocumque modo quaestus in eodem provinciarum oppido faciebant, ibi negotiantes vel *πραγματευόμενοι* dici potuerint[4]). Verbo »*mercari*« autem similiter usus est Sallustius eo loco, ubi in describendo oppido Vaga provinciae Africae Italicos, qui ibi morabantur, his verbis laudavit: »*ubi et incolere et mercari consueverant Italici generis multi mortales*«[5]). Varie quoque in graecis titulis praeter ea, quae iam attulimus, consistentes Romani describuntur, velut saepissime in deliacis verbo »*οἱ παρεπιδημοῦντες*« (aut »*οἱ ἐπιδημοῦντες*«), aut »*οἱ ἐνκεκτημένοι*« in titulo Beroeae Macedonicae[6]), aut »*οἱ ἐνγαροῦντες*« in Elio Olympiae in-

---

1) Dig. 5, 1, 19. 2 = Lenel, Palingenes. iur. civ. II p. 782.

2) Dig. 5, 1, 19. 1: »*si quis tutelam vel curam vel negotia vel argentariam vel quid aliud, unde obligatio oritur, certo loci administravit: etsi ibi domicilium non habuit, ibi se debebit defendere.*«

3) Haec confirmantur Ciceronis verbis in Verr. l. III 60. 137: »*Negotiatores sibi esse putant turpe id forum sibi iniquom eierare, ubi negotiantur*«. vide etiam Cic. ep. ad Atticum V 21. 6.

4) De nomine »*negotium*« similia iam Ernesti l. l. p. 9 observavit.

5) Iug. 47: hoc loco »*incolere*« minus accurate pro »*consistere*« verbo scriptorem uti manifestum est.

6) Delacoulonche rev. des soc. sav. 5a (1858) p. 791 n. 33 (app. n. 8).

vento[1]). Brevissime autem cives Romani Ilii consistentes nominantur verbis »*οἱ Ῥωμαῖοι οἱ ἐν Ἰλίῳ*«[2]), quod nescio an conferendum sit cum ea ratione, qua »*cives Romani Mogontiaci*« (aut »*Mogontiacenses*«)[3]) dicuntur, quibus in verbis locativo (graece ἐν c. dat.) aut adiectivo loci sedes, ubi consistebant cives Romani, adicitur.

Iam vero cives Romanos tam variis modis nominatos consociatos inter se fuisse in singulis oppidis, in quibus habitare significantur atque tamquam collegia negotiandi causa constituta effecisse, hisce ex causis, nisi fallor, cognosci potest. Nam primum quidem in titulis hi saepissime occurrunt coniuncti aliquid agentes, plerumque magistratum Romanum aut urbis aliquod erga se meritum vel postea imperatorem Romanum honore prosecuti. Luce igitur clarius est eos, si eiusmodi titulos ponunt, antea inter se convenisse conciliumque de illa re deliberanda atque constituenda habuisse. Hoc continua societate eosdem usos esse parum demonstrari dicet quispiam. At saepissime in titulis una cum ordine populoque eius urbis, in qua consistebant, nominantur, quibuscum etiam eas res, quae ad omnium urbis incolarum salutem spectabant quaeque consensu omnium plus valebant, decrevisse traduntur[4]), ut quasi alterae respublicae in rebus publicis ipsis nobis fuisse videantur. Quid? quod viros ab illos electos esse, qui sibi praeessent, exemplis firmare possumus? Inveniuntur enim curatores Romanorum alicubi consisten-

---

[1]) Dittenberger, Archäol. Ztg. 1877 p. 38 (app. n. 6), D. hoc verbum, quod nullo alio loco invenitur, esse proprium sermonis in Elide usitati opinatur. Ibi enim adiectivum ἔγ-γα-ρος quo idem fere significetur ac latine verbis »*in loco moratus*« in usu fuisse conicit, ex quo verbum ἐγγαρεῖν simili modo derivari possit, quo verbum ἐπιδημεῖν, in quo eadem fere vis insit, ex adiectivo ἐπίδημος.

[2]) Le Bas-Waddington, Inscr. d'Asie Min. n. 1743. n (app. n. 55).

[3]) CIL V n. 5747 (app. n. 118); Brambach CIRh 956 (app. n. 119), 1067 (app. n. 120), 1130 (app. n. 121). Eodem modo in titulo quodam Alexandrino (Ephem. epigr. II n. 328 app. n. 124) nominatur »*civis Romanus Carnuntiensis*«.

[4]) cf. Ephem. epigr. V p. 155 (app. n. 57); Sterrett, Papers of the American School I p. 55 n. 28 (app. n. 63) Caes. bell. civ. III 102.

tium velut Trallibus, Gortynae, Mogontiaci, in paucis Galliarum civitatibus, atque etiam decuriones eorundem Gortynae[1]) et Mogontiaci. Adde, quod »*cives Romani, qui Mytileneis negotiantur*«[2]), patronum suum honorant. Quare, si haec omnia, quae attulimus, consideramus, nimis audacter concludi, si omnes Romanos, qui aliquo in loco consistentes, aut negotiantes significantur, collegiorum modo quasi formam reipublicae propriae inter peregrinos habuisse ponamus, quis est, qui dicat[3])?

---

1) Ephem. epigr. VII p. 425 n. 5 (app. n. 52); quibus ex causis hunc titulum sic interpreter, conferantur, quae infra p. 29 disseram.

2) CIL III 455 (app. n. 48).

3) Haec ratio consociandi sese cum aliis eiusdem patriae, iuris, condicionis hominibus inter exteros non apud Romanos solos extra Italiam consistentes invenitur. Ubicumque enim maiore numero homines eadem ex urbe vel regione orti in aliena civitate peregrinati esse traduntur, accepimus etiam de eorum conciliis, societatibus, aedificiis, templis communibus cet. Iam a. 333 a. Chr. plebiscito Atheniensium (CIAtt II 1 n. 168) mercatoribus Citiensibus (agitur de Citio in Cypro insula sito) concessum est, ut in Piraeo templum veneris sibi exstruerent, quod Aegyptii mercatores iam eodem loco templum Isidis haberent (cf. U. Köhler Herm. V p. 351—353). Similiter Phoenices, Syri (cf. infra p. 22 et fin. partis tertiae; Friedländer Röm. Sittengesch. II p. 78 sq.), Alexandrini (CIGr 2024 *Ἀλεξανδρεῖς οἱ πραγματευόμενοι ἐν Περίνθῳ*«; de societate Alexandrinorum Tomis vide Momms. RG. V p. 284. 1), Graeci (cf. e. c. »*οἱ ἐν τῷ Δέλτα τῆς Αἰγύπτου καὶ οἱ τὴν Θηβαϊκὸν νομὸν οἰκοῦντες Ἕλληνες*« in tit. CIGr 4679; quo titulo P. Aelius Aristides honoratur qui erat in Aegypto circa ann. p. Chr. 145—147) maximeque omnibus fere locis Iudaei consociati exstabant apud exteros (memoratu dignus prae ceteris videtur tit. Bull. de cor. Hell. XIII p. 179, quem una cum Ptolemaeo quodam, qui »*ὁ ἐπιστάτης τῶν φυλακιτῶν*« nominatur, »*οἱ ἐν Ἀθρίβει Ἰουδαῖοι*« posuerunt in honorem Ptolemaei (V Epiphanis? cf. comm. tit.) et Cleopatrae. Ceterum cf. Momms. RG V p. 470 sq. et Schürer Gesch. des jüd. Volkes II p. 520 sqq.). De Iudaeis idem per totum medium, quod dicitur, aevum videmus, qua aetate sub magistro vel episcopo vel archisynagogo et proprio »*consilio*« in oppidis habitabant (cf. Gierke Deutsch. Genossenschaftsr. I p. 337—339; O. Stobbe Die Juden in Deutschl.). Restat ut mercatorum Germanorum locis externis consistentium societates eiusdem aetatis, quae »*gildae*« vel »*hansae*« in fontibus appellantur, commemorem, quibus praeerant unus vel plures magistri nomine »*altermann*« et »*consilium*« seniorum vel electorum virorum (vide Gierke l. l. p. 349—357).

Venimus ad conventus civium Romanorum quomodo explicandi sint. Ac primum quidem in hac re accuratissime excutiendum est, quid sibi velit omnino nomen conventus. Nam multiplex est huius vocis usus, quam a verbo »*convenire*« ductam esse atque principio multitudinem quamlibet ob causam unum in locum congregatam significare in promptu manifestumque est. Neque vero illud negandum est, quaecumque sit causa conveniendi, ex hac rationes varias, quibus vox usurpatur, manasse. Convenitur res agendi vel audiendi causa: conventus is est contio vel concilium [1]) vel concursus hominum, quibuscum vocabulis ipsis vel similibus nomen conventus saepe [2]) coniunctum legimus. Convenitur consiliandi causa: voce conventus consilium singulorum significatur, velut a Cicerone [3]) senatus Syracusanus conventus dicitur, aut congressus complurium civitatum, quem nos dicimus »*Bundesversammlung*, *Tagessatzung*« [4]). Imprimis autem »conventus« sollemnis vox est, qua intellegitur multitudo iudiciorum causa conveniens in forum earum urbium, in quibus praetores provinciarum consistere atque ius dicere solebant [5]). Atque ex hoc usu loquendi orta est consuetudo appellandi eodem modo et tempus diemve, quo conventus agebatur [6]), et urbem

---

1) Maxime collegiorum et societatum concilia »*conventus*« vocati esse videntur. cf. Liebenam röm. Vereinsw. p. 279 et Joh. Schmidt Rhein. Mus. N. F. XLV p. 605 sq.

2) cf. Cic. in Verr. l. IV. 50. 110; pro Archia II. 3: »*conventus frequentiaque*«. Cic. in Verr. l. V. 38. 100: »*hominum conventus atque multitudo*«. Multis locis dicitur »*in conventu palam*«, si quid coram multis hominibus vel in publico factum est cf. Cic. in Verr. l. V. 53. 193; l. IV. 40. 86. l. III. 64. 149; act. I. 7. 18.

3) in Verr. l. IV. 61. 138.

4) cf. Liv. 33. 34: »*conventus civitatum gentiumque*«; 34. 48; 50; 51 multisque aliis locis huius scriptoris.

5) Hanc vocabuli vim, quae latissime patet, Paulus Diaconus s. v. »*conventus*« (Festus p. 41 M) tertio loco exposuit: »*Tertio cum a magistratu iudicii causa populus congregatur*« cf. etiam Gronov. obs. c. XXII p. 482.

6) Pro »*conventum agere*« Cicero nonnumquam (ad. Att. V. 16. 4; 17. 6; 21. 9; VI. 2. 4.) dicit »*forum agere*«; pariter Graeci »*ἀγοραίους ἄγειν*« vel »*ποιεῖν*« (Strabo XIII. 4. 12) vel »*συνάγειν*« (ib. VIII. 3. 10) vel »*ἀγορὰν ἄγειν*« (Philostr. v. Apoll. I. 12).

ipsam, in qua ius reddebatur, atque etiam circa urbem dioecesin certam, ex qua civitates in huius forum conveniebant. Sed locus aut regio eiusmodi nondum notatur nomine conventus apud Caesarem[1]), rarissime apud Ciceronem[2]), qui in epistolis[3]) quidem semper graeca voce »*dioecesis*«[4]) hoc sensu utitur. Apud Plinium[5]) autem eo modo nomen illud semper usurpatur apposito etiam adiectivo, quod est »*iuridicus*«, quos »*conventus iuridicos*« idem nonnunquam »*iurisdictiones*« vocat[6]).

Iam vero in formula quoque »*conventus civium Romanorum*« voce conventus multitudo civium Romanorum iudiciorum causa aliquam in urbem contracta significari videtur. Eo quidem loco Ciceronis Verrinarum, quo antiquissimus huius formulae usus nobis servatus est, nisi fallor, hoc demonstratur: locum illum dico, ubi Cicero legis Rupiliae a. 623/131 de iure Siculorum praecepta exponit[7]), inter quae leguntur haec: »*Ceterarum rerum* (i. e. rerum inter cives Romanos ipsos[8]) *selecti iudices e civium Romanorum conventu proponi solent*«. Eodem sensu fortasse Cicero ipse hoc vocabulo utitur in l. IV c. 29. 67, ubi illum regem Syriae, cui Verres donum, quod in Capitolium Romanum missurus erat, abstulerat, haec dicentem facit: »*Id etsi antea iam mente et cogitatione sua fratrisque sui consecratum esset, tamen tum se in illo conventu civium Romanorum dare, donare, dicare, consecrare Iovi*

---

1) Apud Hirtium bell. gall. VIII. 46, ubi verba exstant »*conventus percurrere*« propter verbum percurrere putari potest conventus ad ea loca, ubi ius dicatur, pertinere. Sed hoc verbum habet vim solam celeritatis cf. quae Herzog l. l. adnotat.

2) cf. in Verr. l. II. 160; V 16 (II. 44).

3) ep. ad Att. V. 15. 3; V. 21. 7; II. 2. 4; ad fam. III. 8. 4; XIII. 67. 1.

4) Nam vocabulum »*dioecesis*« idem valere ac latinum »*conventus*« cognoscitur ex Strab. XIII. 4. 12. cf. Marquardt St. V. I. p. 341 adn. 2; p. 16 adn. 3.

5) Hist. nat. III. 7. 10. 14. 15. 18. 24. 25. 26. 28. 139. IV. 111. 112. 117. V. 120. 126 cet.

6) ibid. V. 105. 111. 126.

7) Verr. II. 13. 32. 8) cf. infra p. 39 et adn. 2.

Optimo Maximo testemque ipsum Iovem suae voluntatis ac religionis adhibere«; vel in l. V c. 43. 113, quo loco verba defensionis, quam nauarchus quidam Heracliensis a Verre iniuste capitis damnatus scripserat, afferuntur: *sese* (sc. nauarchum) *ideo leviorem suum casum fingere, quod iam ante aciem securium tuarum* (sc. Verris) *Sextiique, tui carnificis, vultum et manum vidisset, cum in conventu civium Romanorum iussu tuo securi cives Romani ferirentur«*.

Sed apud Ciceronem iam formula *»conventus civium Romanorum«* invenitur etiam ad significandam universitatem civium Romanorum eodem loco provinciae consistentium, velut in Verr. l. V 36. 94, ubi Verrem a Syracusanis *»ratione habita dignitatis existimationisque communis, quod is est conventus Syracusis civium Romanorum, ut non modo illa provincia, verum etiam hac republica dignissimus existimetur«*, servatum esse, pariter ac olim per *»cives Romanos, qui Lampsaci negotiabantur*[1]), narratur. Alio loco Verrinarum (l. V 5. 10) iuxta civitatem Lilybaetanam verbis *»conventus civium Romanorum«* universitas civium ibi consistentium ita affertur, ut nomini conventus vis societatis vel congregationis inesse videatur. Atque etiam sine genetivo *»civium Romanorum«* conventus solus hoc sensu usurpatur ablativo vel adiectivo nominis urbis eius, ubi cives Romani consistebant, apposito. In Verrinis a Cicerone dicitur *»conventus Syracusis«*[2]) vel *»conventus Syracusanus«*[3]), *»conventus Panormitanus«*[4]), et in or. pro Sestio[5]) *»conventus Capuae«*. Hoc quidem loco, qui ad annum 691/63 spectat accuratissime demonstratur universitatem civium Romanorum Capuae consistentium illis verbis vocari: non multo enim post ab oratore, cum de eo tempore, quo orationem illam habuit, a. 698/56 agitur, cives olim conventus Capuae, quia a Caesare a. 695/59 colonia Iulia Capuae condita erat, dicuntur *»hoc*

---

1) cf. Verr. l. I. 27. 69. 2) Verr. l. III. 59. 136.

3) ib. V. 59. 155: *»cives Romani ex conventu Syracusano«*. II. 29. 70; III. 13. 32; IV. 25. 55; 31. 70; 61. 137.

4) ib. V. 34. 110.

5) c. IV. 9. de hoc conventu vide infra p. 49—53.

tempore eidem homines nomine commutato coloni decurionesque«.

Apud Caesarem duobus locis, ubi »*eius* (i. e. Hispalensis) *conventus cives Romani*«[1]) vel »*cives Romani, qui eius* (i. e. Lissi) *conventus erant*«[2]) commemorantur, antiquior loquendi usus servatus esse videtur, quamquam etiam eo modo iam vulgari sensu cives Romanos in oppidis illis ipsis consistentes significari puto. Nam universitas ea, cuius singuli vocantur verbis illis »*cives Romani, qui eius conventus erant*« antea[3]) apud eundem scriptorem nominatur »*conventus civium Romanorum, qui Lissum obtinebant*«, qua formula solos cives Romanos Lissi habitantes comprehendi in promptu est. Eodem vero sensu aliis locis apud Caesarem eosque, qui hunc in commentariis de bello civili scribendis sequebantur, etiam nomen conventus solum eadem ratione, atque apud Ciceronem modo observavimus, usurpatur. Ita affertur »*conventus Salonis*«[4]). De huius conventus civibus Romanis accepimus: »*celeriter cives Romani ligneis effectis turribus his sese munierunt et cum essent infirmi ad resistendum propter paucitatem hominum . . . ad extremum auxilium descenderunt*« cet. Apud Hirtium bell. Alex. 43. 2. Salonae iam appellantur »*oppidum maritimum, quod cives Romani fortissimi fidelissimique incolebant*«. De »*conventu Cordubae*« narratur[5]) »*per se portas Varroni clausit, custodias vigiliasque in turribus muroque disposuit, cohortes duas . . . tuendi oppidi causa apud se retinuit*«. Quamobrem postea Caesar eius conventus civibus Romanis gratias agit, »*quod oppidum in sua potestate studuissent habere*[6]). Alio loco[7]) eadem universitas »*conventus Cordubensis*« vocatur. Hic conventus, cum Thorius ad Cordubam veteres legiones adduceret, etiam »*frequens legionibus obviam prodit neque tantum virorum, sed etiam matrum familias ac praetextatorum deprecaturque, ne hostili adventu Cordubam diriperent*«[8]). Caesar, cum multi-

---

1) bell. civ. II. 20. 2) ibid. III. 40. 5.
3) bell. civ. III 29. 4) ibid. III 9. 5) ibid. II 19.
6) ibid. II. 21. 7) Hirt. bell. Alex. 57.
8) ibid. c. 58 cf. etiam c. 59.

tudinem describit eam, quae Uticae aderat, cum Curio urbem obsidere et vallo circummunire instituit, diserte dicit[1]: »*in oppido*« fuerunt »*primum Uticenses . . . deinde conventus is, qui ex variis generibus constaret*«. Hoc potissimum loco luce clarius est nomine conventus iuxta Uticenses significari universitatem civium Romanorum intra oppidi muros consistentium, quorum aliis locis scriptorum[2]) tam saepe commemoratio fit[3]). Itaque a Caesare aliisque, qui de bello Alexandrino et Africo scripserunt, omnes congregationes civium Romanorum in provinciis habitantium »*conventus*« appellatos esse nescio an credam. Idem duobus Caesaris atque Hirtii locis[4]), ubi conventus una cum colonis et civitatibus ipsis vocantur, confirmari mihi videtur, etsi his locis pro certo demonstrari non posse concedo, nomen conventus non ad dioeceses iuridicas spectare.

In titulis vero formula »*conventus civium Romanorum*« rarissime invenitur. Ubi autem exstat, item sola ad universitatem civium Romanorum alicubi consistentium appellandam usurpata esse videtur. Nam in lapide Mascululae[5]), qui divo Augusto consecratus est, legitur »*conventus civium Romanorum et Numidarum, qui Mascululae habitant*[6]), quae conferri possunt cum illis apud Caesarem »*conventus civium Romanorum, qui Lissum obtinebant*«. Atque in titulo in Asia minore reperto[7]), qui ad Thyatiram, nisi fallor, pertinet, a sutoribus urbis honoratur T. Flavius Alexander quidam, qui praeter alios honores munus quoque curatoris »*τοῦ τῶν Ῥωμαίων κονβέντου*« gesserat. Titulus autem positus esse non potest ante Flaviorum imperatorum aetatem propter viri honorati nomen neque post annum 212

---

1) bell. civ. II 36.

2) Sall. Iug. 64. 5; Cic. in Verr. I 27. 70; Val. Max. IX 10. 2; Auct. bell. Afric. 90; Plut. Cat. min. 59 et 61; Dio Cass. 43. 10.

3) Eadem societas apud auctorem bell. Afric. (c. 68) dicitur »*conventus Uticensis*«.

4) Caes. bell. civ. III 32. 6; Hirt. bell. Alex. 56. 4.

5) Ephem. epigr. V n. 597 (app. n. 97).

6) De Numidis huius tituli vide infra p. 46 et adn. 1.

7) Bull. de cor. Hell. X (1886) p. 422 (app. n. 87).

p. Chr., quo anno constitutione Antoniniana omnes conventus civium Romanorum sublatos esse videbimus[1]). Sed Thyatirae anno demum 215 p. Chr. conventum iuridicum esse constitutum alio ex titulo[2]) edocemur. Itaque ille conventus civium Romanorum cum conventu iuridico cohaerere non potest iudiciorumque causa institutus non est, sed hoc modo universitas civium Romanorum Thyatirae consistentium, cui praepositus erat curator, comprehensa esse mihi videtur. Neque vero aliter explicandi sunt »*curatores civium Romanorum conventus Helvetici*« in quattuor titulis Helveticis[3]) commemorati, e quibus unus[4]) non ante aetatem Marci Aurelii inscriptus esse potest, quia »*pro salute Augustorum*« positus est. Haec ratio significandi, quae est »*cives Romani conventus Helvetici*« cum illo apud Caesarem usu loquendi, ubi dicebantur »*eius conventus cives Romani*« et »*cives Romani, qui eius conventus erant*«, bene confertur. Est id solum, quod differat inter hunc conventum Helveticum illosque Syracusanum, Cordubensem, Uticensem, quod hic cognomen trahit non ab urbe oppidove aliquo, sed a gente, quam rem singulari statu provinciarum Galliarum explicandam esse postea demonstrabimus. Morelio autem in his titulis conventus iurisdictionis vim habere videtur[5]). Nam si conventus etiam hic nomen ipsum congregationis esset, hanc »*conventum civium Romanorum in Helvetia*« appellari necesse esse censet. Sed si illum Caesaris usum loquendi respicimus, nostra explicatio multo probabilior est, praesertim cum Helvetiorum civitatem proprium conventum iuridicum fuisse plane ignoremus.

Quibus omnibus satis mihi demonstrari videtur, nomine conventus in formula, de qua quaerimus, quamquam principio fortasse eo civium Romanorum multitudo singulas in urbes

---

1) vide infra fin. partis tertiae.

2) cf. Bull. de cor. Hell. X p. 404 sqq. et p. 417 sqq.

3) Mommsen inscr. Helv. 133 (app. n. 108); 122 (app. n. 109); Association pro Aventico Bull. III (1890) p. 48—50 (app. n. 111); CIL XII 2618 (app. n. 110).

4) Mommsen inscr. Helv. 133.

5) l. l. p. 34.

provinciarum iudiciorum causa congregata significata est[1]), tamen brevi universitatem vel societatem Romanorum eodem loco consistentium appellatam esse, etsi vocabulum illud hoc sensu non sollemniter adhibitum esse concedendum est[2]), id quod ostenditur titulis numeromultis tam raro vocem illam usurpantibus.

Sed hoc cum usu vocis »*conventus*« commode conferri potest, qua ratione nomen graecum »*ἡ σύνοδος*« saepissime adhibeatur. Hoc enim invenitur et apud scriptores et in titulis, si collegia praecipue hominum in aliena urbe habitantium significantur, velut synodi scenicorum artificum, qui terras peragrare solebant iisque in locis, ubi diutius commorabantur, quasi consistentes dici possunt[3]). Saepius vero simul urbs aut terra ea additur, ubi origo illis erat, ut plane eluceat alterum locum, qui appellatur, vel ubi titulus inscribebatur, domicilium solum fuisse, ut synodus gymnica Alexandrinorum Neapoli consistentium[4]) nominatur, aut in titulis urbis Romae: »*ἡ ἱερὰ ξυστικὴ σύνοδος τῶν περὶ τὸν Ἡρακλέα ἀπὸ καταλύσεως ἐν τῇ βασιλίδι Ῥώμῃ κατοικούντων*[5])«. Neque vero aliter apud Strabonem[6]) de collegio dionysiacorum artificum Lebedi habitantium agitur his verbis: »*ἐνταῦθα τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν ἡ σύνοδος καὶ κατοικία τῶν ἐν Ἰωνίᾳ μέχρι Ἑλλησπόντου*«, ubi verba »*σύνοδος*

---

1) Primo credidisse me fateor discernendos atque segregandos esse conventus iudiciorum causa constitutos a conventibus civium Romanorum. Huius enim formulae vis unde orta sit, apparere mihi videbatur ex Caesaris quodam loco (bell. Gall. VII. 55. 5), ubi afferuntur cives Romani, »*qui eo* (i. e. Noviodunum) *negotiandi causa convenerant*«, quorum universitatem sollemniter esse nominatam »*conventum civium Romanorum Novioduni*« arbitrabar. A Mommseno autem, qui benigne me docebat conventum esse appellationem tantum sollemnem ad significandam multitudinem civium Romanorum iudiciorum causa convenientem, commotus sum, ut originem formulae quoque »*conventus civium Romanorum*« ex re iudiciali quaerendam esse iudicarem.

2) Hoc vulgari sensu nos quoque formula conventus civium Romanorum in dissertatione hac utimur.

3) Tituli eiusmodi sunt permulti, velut CIGr 2931. 2933. 3072. 4081; Bull. de cor. Hell. IX p. 125—131.

4) CIGr 5804. 5) CIGr 5906—5909. 6) Strabo XIV 1. 29.

καὶ κατοικία«, i. e. conventus ac domicilium, plane componuntur. Adde, quod societas Smyrnaeorum Magnesiae ad Sipylum consistentium eodem modo »*ἡ σύνοδος Σμυρναειτῶν*« appellatur[1]), aut collegium Tyriorum mercatorum et naviculariorum Deli consistentium »*ἡ σύνοδος τῶν Τυρίων ἐμπόρων καὶ ναυκλήραν*«[2]) Iidem autem mercatores etiam verbis *οἱ κατοικοῦντες* vel *οἱ παρεπιδημοῦντες ἐν Δήλῳ* plurimis in titulis deliacis commemorantur, velut Tyrii, qui Puteolis collegio intet se coniuncti negotiabantur, *οἱ ἐν Ποτιόλοις κατοικοῦντες* nominantur[3]). Nonne igitur societates Tyriorum apud exteras nationes habitantium modo »*σύνοδοι*« modo socii earum »*Τύριοι οἱ κατοικοῦντες*« vocantur? Quid? haec verba nonne eadem vi sunt ac latina »*conventus*« et »*consistentes*«? Cur tandem hoc nomen conventus non eodem modo ac illud graecum[4]) adhiberi potuisse putabimus ad colligendos omnes eodem in loco consistentes Romanos? Optime autem haec illo titulo Mascululae invento comprobantur, ubi dicitur »*conventus civium Romanorum et Numidarum, qui Mascululae habitant*«.

Iam vero consideremus, quae sint omnium congregationum eiusmodi propria quibusque condicionibus eadem exstiterint.

Atque illud, quod iam Mommsen[5]) statuendum esse censebat, retineri necesse est: conventus civium Romanorum solis in locis aut regionibus, quibus civitas Romana non erat, condi

---

1) CIGr 3408.

2) CIGr 2271; Bull. de cor. Hell. III p. 374 cf. etiam ibid. XI p. 249 et p. 252.

3) CIGr 5853 a. 174 p. Chr. n. cf. Mommsen, Berichte der sächs. Gesellsch. d. Wissensch. II (1850) p. 57; Beloch, Campanien p. 119.

4) eadem vox graeca etiam sicut latina »*conventus*« usurpatur in iure dicendo cf. Dio Chrysost. II p. 68 R.

5) Herm. XVI p. 474, ubi vir doctissimus haec verba facit: »*jene conventus civium Romanorum sind das Ergebnis wie das Kennzeichen der politischen Suprematie, welche den Bürgern der regierenden Gemeinde in dem ganzen von ihr regierten Gebiete zukam, und man kann mit gutem Grunde den Satz aufstellen, dafs ein conventus civium Romanorum überhaupt nur statthaft ist in einer Gemeinde geringeren Rechts*«.

potuisse. Sed etiam in urbibus latini iuris cives Romanos consistere solitos esse eorumque conventus locum habuisse nego, qua in re doctissimus ille vir aliud sentit. Nam illud potissimum, quod ipse premit, reputandum est, cives Romanos in provinciis inter peregrinos semper eam ob causam inter se coniunctos suam rempublicam effecisse, quia praecipuo iure multisque privilegiis praeter ceteros fruerentur. Atqui in oppidis latinis cives Romani ab oppidanis nulla fere re segregabantur, quia praecipue sub imperatoribus civis Latinus atque civis Romanus eodem fere iure privato utebantur[1]). His igitur in urbibus Romani incolae fuisse eodemque, quo latini incolae, loco habiti esse videntur[2]). Accedit, quod, si in municipio aut colonia latini iuris erat conventus civium Romanorum, mira quaedam ratio fuerit necesse est inter Romanos consistentes atque eos cives urbis, qui honoribus perfuncti civitatem Romanam adepti aut adepturi erant, quia hi aut extra societatem eorum, quibuscum unius iuris erant, remanere, aut simul illi atque municipio suo adscribi debebant[3]). Quae si respicimus, etiam ex ea re, quod ex Hispania atque Gallia Narbonensi, in quibus provinciis partim iam exeunte primo saeculo ante Chr. n. per multa oppida ius Romanum vel saepius latinum usu receptum erat, partim primo saeculo principatus extremae partes illud acceperant, nullum praeter unum titulum, quo conventus civium Romanorum commemoretur, servatum habemus, eadem concludi posse credo. Ubi tamen in latina civitate conventum inveniamus, hunc fuisse in recondita regione aut in gente barbarn atque humanitatis cultusque Romani experte apparebit. His autem, quae excipienda sunt, exemplis, quorum duo sola

---

1) cf. Herm. XIX p. 78.

2) Vide illum locum legis Malacit., ubi agitur de iure suffragii ferendi, quod incolis romanis atque latinis erat (CIL II 1964. I 44).

3) Mommsen, qui eo loco, ubi conventum Helveticum fuisse in civitate latini iuris demonstrare conatus est (Herm. XVI p. 478), illud primum opinatur, haec adnotat: »*Die kleine Ungenauigkeit, daſs diejenigen cives Helvetici, die persönlich das römische Bürgerrecht erwarben, der curator civium Romanorum conventus Helvetici wahrscheinlieh nichts anging, giebt keinen Anstoſs.*«

exstant[1]), neque illud, quod antea posuimus, refutatur, neque illa Mommseni sententia exemplo conventus Capuae, quem eundem in regione civitate Romana donata perdurasse mox videbimus.

Quid autem erant congregationes civium Romanorum? neque erant collegia, quia partes urbis alicuius non erant atque ex variis generibus[2]) negotia gerentium constabant, neque civitates civium Romanorum, quia iure urbis carebant. Erant societates civium quaestum facientium, quos ius praecipuum communiaque privilegia inter homines inferioris iuris coniunxerant ad congregationes non arte colligatas, ut aliquam reipublicae formam constituerent suasque res ipsi administrarent. Duo autem genera harum societatum seiungi possunt. Nam si in eis terris, ubi peregrini homines in urbibus habitabant, Romani consistebant, intra urbium muros societates eiusmodi condebantur; ubi urbes non reperiebantur, sed vici soli indigenarum, congregationes in his constitutas paulatim ad similitudinem oppidorum civium Romanorum progressas esse consentaneum est. Urbes autem graecae, aut italicae, aut a Phoenicibus conditae aetate efflorescentis liberae reipublicae exeunte sexto saeculo a. u. c. extra Italiam in Sicilia, in Africa, quae quidem Carthaginiensibus subiecta erat, in Graecia et finitimis terris, in omnibus fere Orientis partibus erant. Ibi igitur intra urbes societates illae, quae quasi collegia negotiatorum multis commodis exornatae una cum civibus ur-

---

[1]) Huc pertinet primum titulus Bracarae Augustae in Hispania, CIL II 2423 (app. n. 99), quem saeculo secundo p. Chr. n. positum esse, quod Augusti in eo commemorentur, viri doctissimi opinantur (cf. Mommsen ad CIL III Suppl. 7240). Sed titulus est valde mutilatus: a Huebnero solo legitur AVGG; exemplaria reliqua habent AVG. Deinde titulus in Franco-Gallorum urbe, quae nominatur Auch, repertus (Revue épigr. du midi de la France I 20 (1882) no. 333 [app. n. 106]), quem ad civium Romanorum in Ausciorum civitate congregationem refero. Hanc autem civitatem ius latinum habuisse iam Strabo IV 2. 2 testatur, quod eis ab Augusto datum esse Hirschfeldio videtur (Gesch. des latin. Rechts, Festschr. z. Gründungsfeier des archäol. Inst. p. 9).

[2]) Hoc e. c. dicitur de conventu Uticensi, Caes. bell. civ. II 36. Quae Herzog hoc loco adnotat, valde perverse iudicata sunt.

bium ipsis eosdem muros inhabitabant, inveniuntur; contra in Occidente, i. e. in reliqua Africa, Hispania, Gallia, Britannia, Germania terrisque ad Danuvium fluvium sitis, quae regiones per Romanos a fera agrestique vita ad humanum cultum civilemque deducebantur, locus erat earum congregationum, quae magis vicorum modo conditae celeriter crescebant, ut nulla alia re nisi iure urbis, quo ipsi carebant, a coloniis municipiisque Romanis abessent.

In his vero terris provinciae iam temporibus rei publicae liberae captae urbibusque vel Romani vel latini iuris non multo post frequentatae (Hispania ulterior et citerior, Gallia Narbonensis, Dalmatia) segregandae sunt ab eis terris, quae ineunte principatu in dicionem Romanam veniebant magnaque ex parte pagos vicosque retinebant (tres Galliae, Britannia, Germania terraeque ad Danuvium sitae). Hac enim aetate in illis provinciis, quas primo loco diximus, congregationes civium Romanorum non iam nobis occurrunt, quia ibi urbibus Italicis ipsis conditis remoti erant. Quamobrem in libris scriptorum solis de his societatibus, quae huc pertinent, tradita sunt. Sed in iis finibus, quos altero loco nominavimus, civium Romanorum congregationes duobus saeculis primis p. Chr. n. florebant, ut ex multis huius aetatis titulis satis elucet.

Itaque hoc ponimus: in Occidente has congregationes plurimas in iis terris reperiri, quae semper extremae imperii fuerint atque ubi aut Romani aut latini iuris urbes nondum satis multae conditae sint. Harum enim loco primo congregationes, postea oppida civium Romanorum ex illis orta diutius exstabant, donec iure urbis dato municipia aut coloniae ipsae fierent. In Occidente igitur pro illis Orientis collegiorum modo in urbibus constitutis societates eiusmodi erant, quae aut brevi aut diutius manerent paulatimque crescerent, quoad re vera urbes erant[1]).

1) Mommsen in Herm. VII p. 322 dicit: es sind »*Mittelzustände, in deren Natur es liegt, nicht zu dauern, und allmählich in die volle Entwickelung überzuleiten.*«

Hoc loco ad similem rem in urbium medii quod dicitur aevi primordiis animos advertere licebit, qua de re tamen inter viros doctissi-

Sed ob id ipsum nostra maxime interest eas cognoscere, quia negotiator, aut mercator, aut quocumque modo civis Romanus in his regionibus quaestum faciebat, primus cultum humanitatemque illas in terras intulit, omnibus fere in locis primordia urbium condidit maximeque victas gentes cum victoribus coniunxit.

---

mos, qui de illis temporibus scripserunt, summa controversia est. E quibus unus (Wilda, Gildenwesen im Mittelalter p. 152 sqq., p. 170 sqq., p. 229—288) sententiam protulit, qua demonstrare studebat plerumque initio societatem hominum eodem loco habitantium factam, inde urbem ipsam esse natam. Etsi haec sententia ita stare non potest (vide Gierke l. l. p. 264 et adn. 42), tamen multi viri docti non negaverunt, quantum mercatores ceterique homines quaestum facientes, qui iam inde a temporibus Caroli Magni variis privilegiis ac commodis fruebantur, eorumque societates in urbibus condendis valuissent. Nitzsch quidem (»über niederdeutsche Kaufmannsgilden« Monatsber. d. Berl. Akad. 1879 p. 4—28; ib. 1880 p. 370—403) imprimis in Saxonia velut in urbibus Cöln, Stendal, Groningen cet. id quod ipse dicit »*eine allmähliche Entwicklung der Stadt- aus der Gildeverfassung*« (l. l. 1880 p. 403) statui posse iudicavit. Gierke autem (l. l. I p. 243 et adn. 23; p. 264—268) haec maxime extra Germaniam praecipue in Britannia observanda censuit atque etiam Inama Sternegg (Deutsche Wirtschaftsgesch. II p. 96 sqq.) mercatores eorumque iura ac societates ad urbes constituendas multum contulisse exposuit. Sed vide etiam, quae contra hanc sententiam de Below, Göttinger gel. Anz. 1891 n. 19 p. 762—771 et Hegel in libro nuperrime edito, Städte und Gilden im Mittelalter, disputant). Optime autem conferri possunt cum illis urbibus, quae in imperio Romano ex societatibus civium Romanorum ortae sunt, eae quoque Germanorum civitates, quae fiebant e mercatorum apud exteros »gildis« vel »hansis« iam supra (p. 14 adn. 3) commemoratis. De his Gierke (l. l. I p. 355), quoniam de societate permagna mercatorum Germanorum in urbe illa, quae dicitur Nowgorod, consistentium egit, ita disserit: »*So stand diese Genossenschaft deutscher Kaufleute in Nowgorod gleichsam in der Mitte zwischen einer Handelsgilde und einer Stadtgemeinde und wurde im Laufe der Zeit mehr und mehr eine wirkliche freie Stadt und endlich ein freier Staat, eine blühende und mächtige Republik. Gleich ihr gab es, wenn auch in kleineren Verhältnissen, manche andere Handelsniederlassung, von der es kaum zu bestimmen ist, ob sie Gilde oder Gemeinde war, oder die mit der Zeit dieses aus jener wurde.*«

II.

Quoniam quid sibi velit significatio conventus civium Romanorum, quidque ceterae, quibus cives Romani alicubi consistentes dicuntur, atque cur duo genera significationum ad societates negotiatorum, aratorum, mercatorum, ceterorum civium Romanorum in provinciis commorantium referendae sint, postremo, quae conventuum propria sint, satis demonstrasse mihi videor, transeamus nunc ad illud alterum, quomodo haec corpora ordinata atque administrata sint, quatenus ex Romanorum in provinciis magistratuum arbitrio pependerint, quaeque ratio fuerit inter conventus atque urbes peregrinas aut civitates, in quibus illi collocati erant.

Atque has societates non arte inter se coniunctas fuisse supra significavimus. Plerumque igitur unus curator iis solus praefuisse videtur. Nam hunc saepe invenimus in titulis: Thyatirae[1]), Trallibus[2]), Gortynae[3]), Mogontiaci[4]), in civitate Helvetiorum[5]), Santonum[6]), Petrocoriorum[7]), Ausciorum[8]). Quem totum corpus administrasse omniumque causas defendisse arbitror. Nam cum Morelio[9]) conicere licebit eum res conventus et cum praefecto provinciae et cum magistratibus eius civitatis, in qua cives Romani consistebant, egisse, decreta mandataque omnium executum esse[10]), socios descriptos habuisse, nomina eorum, qui

---

1) Bull. de cor. Hell. X p. 422 (app. n. 87).

2) CIGr 2930 (app. n. 70).

3) Ephem. epigr. VII p. 425 n. 5 (app. n. 52).

4) CIL V 5747 (app. n. 118). Brambach CIRh 956 (app. n. 119).

5) Mommsen inscr. Helv. 133 (app. n. 108), 122 (app. n. 109); Association pro Aventico Bull. III (1890) p. 48—50 (app. n. 111), CIL XII 2618 (app. n. 110) cf. ib. 2564 (app. n. 112).

6) Rev. ép. du midi de la France II 54 (1889) no. 780 (app. n. 105).

7) Revue épigr. du midi de la France I 3 (1878) n. 54. 55. 56 (app. n. 102—104).

8) Revue épigr. I 20 (1882) n. 333 (app. n. 106).

9) Morel l. l. p. 35—37.

10) vide titulum Gortynensem.

introibant, in indices rettulisse, pecunias denique si arca communis erat, procurasse, quod munus Mogontiaci, ut videbimus, quaestor societatis suscipiebat[1]). Quaeritur autem, utrum curator ille a sociis ipsis sibi praepositus sit, an hoc munus a praetore provinciae mandatum esse putemus. Hoc enim statuendum esse Morel[2]) quidem censet, fortasse eo modo, ut cives Romani eum, qui sibi placuerit, commendaverint. Quod nulla ratione probare possum, sed a sociis electos esse magistratus suos arbitror, qui mos erat apud omnia collegia imperii[3]).

Dignum autem, quod hoc loco commemoremus, mihi id esse videtur, quod saepe curatorem cives Romani fecerint eum, qui ex provincialium urbe aut civitate, ubi conventus erat, ortus, nescio quo pacto aut nobili genere natus, aut summa virtute praeditus civitatem Romanam assecutus erat. Trallibus enim erat curator Ti. Claudius Pannychos[4]), qui multis honoribus urbis suae perfunctus erat, idemque videmus de curatoribus in Helvetiorum et Santonum civitatibus atque de summis curatoribus Galliae Lugudunensis et Aquitaniae. Hoc fuisse opinor prudentiae civium Romanorum ibi consistentium, quia eiusmodi vir suorum eiusdem iuris sociorum causas cum urbe civitateve sua, in qua illi habitabant, optime agere potuit.

Praeter curatorem Trallibus etiam societatis scriba (*γραμματεύς*) nobis occurrit[5]), qui idem munus apud societates duas Trallianas, quae nominabantur »*ἡ φιλοσεβάστη γερουσία*« et »*οἱ φιλοσέβαστοι νέοι*« administraverat atque in urbe ipsa, ubi omnes magistratus gesserat.

Has autem societates patronos ipsas creasse conicere liceret, etiamsi nulla huius rei exempla nobis essent, quia hic mos in imperio Romano latissime patebat omnesque urbes, civitates, societates, collegia patronos habebant. Trium autem societatum

---

1) Brambach, CIRh 956 (app. n. 119).
2) Morel l. l. p. 41 sq.
3) cf. Liebenam, Röm. Vereinswesen p. 199.
4) CIGr 2930 (app. n. 70).
5) Sterrett, Papers I p. 108 n. X. Mitteil. d. deutschen archäolog. Instituts in Athen VIII p. 328 sq. (app. n. 73).

patronos novimus. Patronum enim »*conventus Capuae*« Ciceronem fuisse ipse auctor est[1]), eodemque honore »*cives Romani, qui Mytileneis negotiantur*« M. Titium, praefectum classis, qui Sex. Pompeium M. Antonii iussu a. 719/35 occiderat[2]), et cives Romani Beroeae consistentes una cum civibus huius urbis ipsis L. Calpurnium Pisonem, proconsulem Macedoniae a. 697/57[3]), affecerant.

Hoc igitur modo omnes fere civium Romanorum societates primis temporibus, quibus exstabant, constitutas fuisse illasque Orientis plurimas semper sic compositas permansisse nescio an verisimile sit. Sed nonnullas accrescente multitudine postea etiam decuriones sibi elegisse ex titulis duobus in locis et Orientis et Occidentis, Gortynae[4]) atque Mogontiaci[5]) repertis, qui exeunte secundo atque tertio saeculo p. Chr. n.[6]) scripti sunt, cognoscitur. Minime enim Mommseno assentiri possum Flavium Titianum, qui Gortynensi in titulo summam quandam pro decurionatu suo intulisse dicitur, decurionem urbis Gortynae fuisse, non societatis civium Romanorum. Nam quomodo, si ita res se haberet, ut vir doctissimus iudicat, ex summa in aerarium urbis inlata cives Romani L. Septimio Severo imperatori titulum ponere potuerunt? Praeterea si, qui ordo civium Romanorum Mogontiaci fuerit, respicio, non dubito, quin Gortynae quoque societatis ordo statuendus sit, in quem si quis intraverat, etiam eodem modo ac in municipiis coloniisque illorum temporum honorarium quoddam solvere debebat.

Singulari ratione civium Romanorum societas in Delo in-

---

1) Cic. pro Sest. IV 9.

2) CIL III 455 (app. n. 48); cf. Dio Cass. 49. 18. Cichorius, Rom und Mytilene p. 8.

3) Delacoulonche rev. des soc. sav. 5a (1858) p. 791 n. 33 (app. n. 8).

4) v. titulum supra p. 27 adn. 3 allatum.

5) Brambach, CIRh 1067 (app. n. 120), 1130 (app. n. 121).

6) Gortynensis titulus Severo imperatori a. 195 p. Chr. n. dedicatus est atque ex duobus Mogontiacensibus unus a. 276, alter Severi Alexandri aetate positus est, quia legio XXII in eo Alexandriana cognominata est. Mos autem legionibus nomen imperatoris, qui tunc principatum tenebat, addendi non ante Caracallam invenitur, cf. Marquardt St. V. II p. 455.

sula constituta erat. Nam huic praepositi erant sex magistri Mercurii (graece *οἱ Ἑρμαϊσταί* nominati), qui instituti esse videntur secundum exempla collegiorum illorum, quae mercatores ex Oriente, praecipue ex Syria eodem in emporio consistentes habebant. Haec enim omnia simul ad cultum deorum patriorum spectabant, quod in sacra insula, ut Delos propter aedem celeberrimam Apollinis appellabatur, mirum videri non potest. Sed hanc civium Romanorum societatem accuratius considerabimus, cum in proximo capite, quomodo illa orta sit atque effloruerit, tractaverimus.

Supra perstrinximus in Occidente congregationes civium Romanorum paulatim crevisse atque ex iis vicos postremo vel oppida civium Romanorum orta esse. In his igitur provinciis duo genera congregationum, quae tempore se excipiebant, statuenda esse etiam ex ea ratione, qua erant dupliciter eiusmodi corpora administrata, ostenturum me esse spero. Nam primo in his regionibus illos conventus, quibus curatores praeerant, plerumque se non urbibus, quae ibi paucae erant, sed civitatibus barbararum gentium adiunxisse exemplo conventus Helvetici, opinor, satis demonstratur. Praeterea apud Caesarem[1]) accepimus conventui civium Romanorum, qui Lissum obtinebant, hunc locum ab ipso demum attributum esse, quibus ex verbis intellegitur antea hunc latius patuisse; quare exemplo conventus Helvetici perductus eam societatem per fines gentis Dalmaticae, quae ibi sedes habebat, constitutam fuisse, tum a Caesare illud oppidum domicilium accepisse coniecerim. Imprimis enim negotiatores et mercatores Romani, qui has in terras penetrabant, rationem habere quaestus sui debebant, quam ob rem statim in singulis vicis gentium indigenarum non magnam multitudinem eorum simul consedisse putabimus, ne sibi ipsi detrimentum inferrent[2]). Quae

---

[1]) Caes. bell. civ. III 29. 1.

[2]) cf. Caes. bell. Gall. VII 38. 42. 55, 5, quibus ex locis elucet per totam Aeduorum civitatem et Cabilloni et Novioduni cives Romanos constitisse; apud Dionem Cass. 40. 33, ubi de eodem gallico tumultu ac illis locis Caesarianis agitur, haec afferuntur de Arvernis: »καὶ τούς γε Ῥωμαίους, ὅσους ἔν τε ταῖς πόλεσιν, ἔν τε τῇ χώρᾳ σφῶν εὗρον, πάντας ἀπέκτειναν.

si ita sunt, propter exiguum numerum eodem in vico consistentium societates ibi conditas esse verisimile mihi videtur non singulis in locis, sed intra fines gentis, cuius rei exempla in duabus provinciis repperisse nobis visi sumus, aut totius provinciae, ut cives Romanos Raetiae communiter agentes videmus[1]). Huc quoque spectant illi »*summi curatores civium Romanorum*« provinciae Lugudunensis atque Aquitaniae[2]), qui nominibus suis testantur etiam harum provinciarum omnes cives Romanos universitates effecisse. Sed de his postea. Quamquam ne illud quidem reiciendum est fuisse certa loca natura situque mercatoribus Romanis valde opportuna idoneaque, quae ipsa sola statim domicilia multorum civium eorumque societatum sedes facta sunt, velut Nauportus[3]) aut Londinium[4]), nisi me omnia fallunt.

Sed illis quoque in regionibus, ubi conventus per fines civitatum indigenarum constituti exstabant, paulo post in singulis vicis civium Romanorum multitudo augebatur eo magis, quo celerius in provinciam illi immigrabant. Itaque fieri potuit, ut in iis vicis, in quibus illi indigenas aut numero aut auctoritate atque potentia opibusque superarent, ipsi vicum administrandum susciperent eoque modo ex conventibus civium Romanorum singuli vici vel oppida eorum existerent, quae muris circumdata sunt[5]). Haec autem cum aliis a praetoribus provinciis praepositis, tum a Caesare adiuta esse exemplo conventus Lissi demonstratur. Atque illis societatibus in unum vicum, quem ipsi administrabant quasi suum oppidum, contractis non erant curatores, sed duo magistri praepositi duoque quaestores, qui aerarium vicanorum curabant. Hanc administrandi rationem, quam mediam intercedere inter municipalem atque vicorum facile cognoscitur,

---

1) CIL III 5212 (app. n. 116).

2) Boissieu inscr. de Lyon p. 160 (app. n. 107). Allmer, Musée de Lyon II (1889) p. 362 n. 144 et p. 367 (app. n. 101).

3) Tac. ann. I 20.

4) Tac. ann. XIV 33. 3.

5) cf. Caes. bell. civ. III 29. 1 et CIL III 1820. (app. n. 113).

Naronae[1]) in Dalmatia atque Nauporti[2]), quem vicum, »*municipii instar*«, civibus Romanis domicilium fuisse Tacitus tradidit, invenimus. Incolas autem ipsos societates eiusmodi »*vicos*« atque se »*vicanos*« nominasse testantur tituli Nauporti reperti, ubi magistri illi societati praepositi »*magistri vici*« atque decreta Romanorum »*vicanorum scita*« dicuntur. Decuriones igitur, ad quos postea aliis in locis simili modo constitutis veniemus, illic non fuisse videntur. Ceterum in his oppidis Romanos eandem vitam degisse eademque ratione rem publicam gessisse atque in municipiis coloniisque ipsis opinari licebit. Legimus enim in titulo Naronensi[3]) magistratus vici turrim, quam in muro circa urbem aedificando exstructam esse verisimile est, faciendam curavisse, et in altero[4]) hominem privatum aedem Libero dedicasse. Nauporti vero magistri templum Neptuni et Aequornae[5]) atque porticum fecisse traduntur. Cum his autem si, quae apud Caesarem Hirtiumque de conventibus civium Romanorum Salonis atque Lissi exstant, contulerimus, iam illis temporibus hos quoque conventus ita auctos esse censebimus, ut quasi oppida eodem modo ac Narona et Nauportus constituta essent. Salonas quidem, ubi Caesar conventum commemorat, Hirtius, ut iam supra commemoravimus »*oppidum maritimum, quod cives Romani fortissimi fidelissimique incolebant*« nominat, atque de

---

1) CIL l. l. magistrorum alter est ingenuus, alter libertinus, itemque res se habet de quaestoribus.

2) CIL III 3776 (app. n. 114) et 3777 (app. n. 115). Magistri omnes sunt libertini. Nam hoc quoque dignum est notatu, quot libertini illis potissimum temporibus liberae rei publicae inter cives Romanos in provinciis consistentes fuerint. Primo cives ipsi in provinciis domicilium perpetuum non collocasse videntur, sed ex libertinis suis procuratores aut villicos misisse. Vide etiam titulos deliacos priorum temporum et Cic. ep. ad fam. I 4. 1, 2; XII 29. 2; XIII 21. 2; 23. 1; 27. 2; 33; 38; 42; 69. 1; 70; in Verr. l. V 59. 154.

3) CIL III 1820 (app. n. 113).

4) CIL III 1784, cf. 1785 et 1821. »*P. Annaeus Q. l. Epicadus*« fortasse est idem, qui in n. 1820 quaestor nominatur.

5) De Aequorna dea cf. Mommsen. CIL I p. 271.

Lisso vide, quae non multo antea exposuimus[1]). Quid? Cordubae conventum, qui »*per se*« portas vici Varroni clausit, aut illum Hispalensem aliter constitutos esse num putabimus?

Itaque in eis potissimum provinciis Occidentis, quae iam aetate liberae reipublicae armis posteaque cultu Romanorum occupatae erant, ubi victores urbes, ut in Italia atque Graecia totoque Oriente, condere vehementissime studebant, hoc modo societatum duo genera, alterum a curatore, alterum a magistris administratum se excepisse videntur. Aliter autem res se habebant in tribus Galliarum provinciis, quae a Caesare in potestatem Romanam redactae erant. Neque enim ibi, quia vicos pagosque singularum gentium permansisse neque vicos singulos, sed civitates Gallicas rempublicam unam effecisse inter omnes constat, ex conventibus civium Romanorum intra fines civitatis, ut mihi quidem verisimile esse exemplo conventus Helvetici videbatur, conditis oppida vel vicos, quibus magistri duo praepositi sunt, exoriri potuisse intellegitur. Immo vero illos conventus diutius permansisse a curatoribus rectos nonnullis titulis gallicis confirmatur[2]). Itaque ei conventus, qui aliis in provinciis Occidentis non per longum temporis spatium stabant, sed paulo post in oppida civium Romanorum commutabantur, in tribus Galliis integri durabant.

Sed praeter hos per fines civitatum conventus ex ea re, quod Augustus e consilio Caesaris dictatoris, ut Mommsen quidem coniecit[3]), provincias gallicas tam diverse ab omni more

---

1) Augusti temporibus Lissus »*oppidum civium Romanorum*« erat cf. Plin. H. N. III 144.

2) Revue épigr. du midi de la France I 3 (1878) n. 54. 55. 56. (app. n. 102—104). II n. 54 (1889) n. 780 (app. n. 105) I 20 (1882) n. 333 (app. n. 106). Quamquam enim in his titulis, ubi cives Romani, quibus curatores in eis commemorati praeerant, constiterint, diserte non dicitur, tamen, quia lapides in urbibus Franco-Galliae: *Périgueux*, *Saintes*, *Auch*, reperti sunt, illis causis, quas iam attuli, ad civitates gallicas: Petrocorios, Santones, Auscios referendos esse Romanorum conventus nescio an proponendum videatur. Vide etiam titulos Helveticos, quos iam laudavimus.

3) Mommsen, RG V p. 84.

populi Romani ordinabat, etiam alterum quiddam ortum est, quod item trium Galliarum proprium fuisse[1]) tenendum est: Luguduni, in metropoli Galliarum, »*summi curatores civium Romanorum*« uniuscuiusque provinciae erant. Nam cum titulos horum curatorum provinciae Lugudunensis atque Aquitaniae habeamus, conicere nobis licebit similes magistratus Romanis Belgicae quoque praefuisse[2]). Ac primum in his summis curatoribus velim respicias utrumque, quem cognovimus, Luguduni sedem habuisse. Unde efficitur, ut iis causae civium Romanorum imprimis in conciliis Galliarum, quae in hac metropoli habebantur, defendendae mandatae fuerint. Romanos enim, qui per provincias has dispersi habitabant, quamquam plurimi in singulis civitatibus iam curatores sibi praefecerant, tamen nonnullis in regionibus, ubi pauci commorabantur, sine curatoribus fuisse verisimile est. Quomodo summi curatores electi sint, nescimus, fortasse sic, ut omnes provinciae curatores a civibus in singulis civitatibus constituti civem Lugudunensem quendam, qui ipsis idoneus videretur, crearent. Illi enim, quorum duorum titulos habemus, sunt viri nobiles, qui Luguduni omnibus honoribus perfuncti erant, apud summos infimosque cives coloniae valde gratiosi; »*Sex Vagirius Martianus* summus curator c. R. provinciae Aquitaniae etiam eques Romanus fuisse videtur.

Iam vero, quoniam varia genera eorum, quos civium Romanorum societates sibi praefecerant quibusque res suas tuendas inter exteras nationes tradebant, perlustravimus, locus erit, ut animos advertamus illuc, quos deos eae maxime coluerint at-

---

[1]) Nam ex titulo nuperrime Laodiceae in Asia reperto, quem »*οἱ ἐπὶ τῆς Ἀσίας Ῥωμαῖοι καὶ Ἕλληνες καὶ ὁ δῆμος ὁ Λαοδικέων*« dedicaverunt, (Mitteil. des deutschen archäol. Inst. in Athen XVI [1891] p. 145) etiam cives Romanos omnes per Asiam provinciam consistentes consociatos fuisse non apparet.

[2]) Concedendum est hoc in Belgica fortasse non eodem tempore, quo in Lugudunensi atque in Aquitania, factum esse, quia mercatores Romanos posteriores in Belgicam venisse Caesar dicit in bell. gall. l. I 1. Atque etiam fieri potest, ut ibi res paulo aliter se habuerit, quia Germaniae cum Belgica coniunctae erant.

que honoribus templisque ornaverint, ut etiam superi quaestum suum propitiis oculis inspicerent. Nam omnia collegia, societates et mercatorum negotiique gerentium et aliorum hominum communi quodam vinculo consociatorum apud Graecos atque Romanos omnesque antiquorum temporum populos semper in deis patriis venerandis sacrisque observandis praeter illud ipsum, quod eos coniunxerat, simul versatas esse atque ex superis quasi patronum sibi electum habuisse, velut medio quod dicitur aevo collegia saepissime curae Sancti cuiusdam erant mandata[1]), inter omnes constat. Atque cives Romanos, qui rem augendi causa in provincias immigraverant, praecipue Mercurium, tutorem omnium mercatorum, pie veneratos esse[2]) atque societatem Deliacam eum cum matre Maia patronum sibi sumpsisse mirum videri non potest. Similia autem invenimus in titulis civium Romanorum ad castra stativa consistentium, inter quos Brigetione etiam genio commercii et negotiantium consecratus[3]) occurrit. Praeterea, quoniam Romanorum animos admodum inclinasse eo, ut alienorum deos reciperent, nemo est, qui nesciat, in usu erat cultus eorum deorum, qui in domiciliis societatum templa habebant, velut Deli cultus Apollinis simulque Artemidis atque Latonae, Elide cultus Iovis Olympii[4]), Salamine in Cypro[5]) dei deaeve, cuius nomen in titulo evanuit, quam fuisse Venerem, cui erat ibi aedes, meo iure mihi videor conicere. Nauporti vero Neptunum atque Aequornam, Naronae Liberum templo honoratos esse iam memoravimus. Apud Petrocorios denique a curatore civium Romanorum etiam deae Stannae, fortasse loci deae gallicae[6]), apud Helvetios. Soli genio atque Lunae sacrum titulum[7]) positum esse cognovimus. Itaque hoc modo per has so-

---

1) cf. Schoeffer, de Deli ins. rebus. p. 192.

2) Titulorum huic deo a singulis Romanis mercatoribus aut aliter negotii gerentibus positorum magnus numerus omnibus in locis prodiit.

3) CIL III 4288.

4) Dittenberger, Arch. Ztg. 1877. p. 38 (app. n. 6).

5) CIL III 6051 (app. n. 94).

6) Rev. épigr. du midi de la France I 3 (1878) n. 56 (app. n. 104).

7) Mommsen inscr. Helvet. 133 (app. n. 108).

cietates primas factum est, ut dei peregrini et advecticii apud Romanos ipsos magis magisque in cultum deorum patriorum irreperent. Temporibus autem principatus ab his potissimum civibus Romanis divi imperatores colebantur, ut erat officium eorum, qui optimum ius in imperio possidebant. Accedit, quod edictis principum ipsis iidem cultum imperatorum servare iussi sunt, velut apud Cassium Dionem[1]) legimus Augustum templa duo, quae Ephesi atque Nicaeae in Bithynia deae Romae et divo Iulio a. 735/29 dedicavit, curanda tuendaque civibus Romanis in eisdem urbibus habitantibus mandasse[2]). Cum his autem convenit multis civium Romanorum titulis imperatoribus aut divis honores tribui, ut illo titulo[3]), quo cives Romani, qui Cyzici consistebant, una cum Cyzicenis divo Augusto, Tiberio Claudioque huius temporibus post victoriam in Britannia reportatam arcum[4]) posuerunt. Quae urbs, quia sub imperio Tiberii, postquam crimine neglecti cultus imperatorum incusata est, libertatem amiserat[5]), tum auxilio civium Romanorum causam suam corrigere in animo habuisse videtur. Cives autem Romani Ephesi consistentes Claudium titulo[6]), cives Romani Pergami Augustum, qui vocatur »τῆς πάσης γῆς καὶ θαλάσσης ἐπόπτης« titulo, fortasse sub statua equestri posito[7]), honorant. Gortynensis vero titulus, is quem supra

---

1) Dio Cassius 51. 20.

2) Ipse quidem divino honore ab illis Romanis coli noluit, sicut in Italia quoque initio imperii eius id vetitum est, ne liberae reipublicae amicos offenderet (cf. Guiraud, les assemblées provinciales p. 23 et 30). Hoc solis provinciarum incolis primisque Graecis Asiaticis permittebat Augustus (vide Dion. Cass. l. l.) Sed quam brevi tempore Romani cum provincialibus etiam eo, qui imperium obtinebat, principe adorando concertabant! Ante animos proponamus iusiurandum Assiorum atque Romanorum ibi consistentium, quod statim tractabimus (cf. Guiraud, l. l. p. 116 adn. 2).

3) CIL III Suppl. 7061 (app. n. 53).

4) ar[cum] recte supplet Mommsen, ar[am] Perrot.

5) Sueton. v. Tib. 37; Tac. Ann. IV 36; Dio Cass. 57. 24. cf. etiam ibid. 54. 7.

6) Le Bas-Waddington, inscr. d'Asie Min. III n. 143 = CIGr. 2961 (app. n. 68).

7) Jahrb. der preuss. Kunstsammlungen III p. 86 (app. n. 64).

memoravimus, dedicatus est Septimio Severo[1]) atque in eodem Flavius Titianus, decurio civium Romanorum simul sacerdos designatus divi Traiani nominatur curatorque civium Romanorum sacerdos divi Augusti. Cum populo autem Assiorum a civibus Romanis ibidem habitantibus titulo[2]) C. Caesar, Augusti nepos, cum Asiae erat praepositus, altero[3]) divi Augusti aut sacerdos, aut filia ornatur. Atque huc etiam referendus est ille lapis Assi repertus[4]), si recte suppletur, in quo cives Romani, qui Assi negotiantur, »*τὴν εὐεργέτιν τοῦ κόσμου*« honorant, quibus verbis Liviam, uxorem Augusti esse significatam Waddington coniecit. Melius autem, quam hoc fragmentum, traditum est iusiurandum eiusdem urbis[5]), quo ordo populusque simulque cives Romani ibi consistentes a. 37 p. Chr. n. Caligulam eo tempore, quo principatum subire coeperat, amplissimis verbis imperatorem consalutabant, cum totus terrarum orbis accederet, ut faciem novi dei spectaret quodque ab his temporibus terra hominibus sedes beatorum futura esset. Invicem imperatores ipsi civium Romanorum conventibus favisse videntur, maxime qui, qua vi atque potestate cives Romani in provinciis consistentes ad gentes ibi in unius populi corpus conglutinandas essent, intellexerunt, velut Iulius Caesar, qui societatem Lampsaci[6]) novis colonis auxisse traditur[7]) quique qualis erga Romanos Lissi consistentes fuerit iam antea allatum est; aut Hadrianus, si modo titulum Trallianum mutilatum[8]), in quo hic imperator, si recte interpretamur, saluti

---

1) Eidem imperatori dedicatus est titulus civium Romanorum Konanae in Pisidia. cf. Sterrett, The Wolfe Expedition III p. 339 n. 473 (app. n. 41).

2) Sterrett, Papers I p. 30 n. 13 (app. n. 58).

3) Ibid. 45 n. 19 (app. n. 61).

4) Le Bas-Waddington, Inscr. d'Asie Min. n. 1034a et adn. (app. n. 56).

5) Ephem. epigr. V p. 154 sqq. (app. n. 57).

6) Cic. in Verr. l. I 27. 69.

7) Appian. bell. civ. V 137.

8) CIL III 444 (app. n. 69). Verba ipsa »*civibus Romanis*«, quae desunt in titulo, coniectura supplentur a Mommseno (CIL III p. 1184). Haec viri doctissimi coniectura confirmatur titulo latine scripto in graeca urbe.

civium Romanorum consuluisse videtur, »*ne quid desiderarent*«, huc referre licebit.

Venimus ad alteram partem huius capitis, qua demonstraturi sumus, quo iure quaque condicione corpora haec civium Romanorum fuerint.

Illud igitur primum tenendum est his civibus, qui quidem in provincialium urbibus aut vicis habitarent, solis a praetoribus Romanis ius redditum esse[1]) idque illis ipsis in locis vel potius intra eos conventus iuridicos, ubi societates consistebant, quia, ut Ciceronis verbis utar, »*negotiatores sibi esse putant turpe id forum sibi iniquom eierare, ubi negotiantur*«. Iudicia autem inter cives Romanos in provinciis ipsos, aut inter cives atque peregrinos illa lege, qua singulae provinciae ordinabantur, ad normam quandam dirigi necesse erat. Et videmus in Sicilia, quae lege Rupilia constituebatur, e conventibus cives Romanos a legis latore ad iudicia eiusmodi diiudicanda destinatos esse. Illa autem praecepta legis Rupiliae Cicero in Verrinarum l. II 13. 32—34. nobis tradidit, ubi, quantopere Verres edictis suis hanc legem perturbaverit, iudicibus ante oculos ponere studet.

Sed ut hunc locum iam a multis viris doctis tractatum vel potius saepe vexatum recte interpretemur, eum accuratius considerare opus erit.

Agitur toto loco de iudicibus constituendis variis in litibus in Sicilia. Ac quoniam orator exposuit, primum si Siculus cum Siculo eiusdem urbis certaret, eos suis legibus uti; deinde si Siculus cum Siculo alterius civitatis, praetorem ex lege Rupilia iudices sortiri; tum in causa singulorum cum urbe, vel urbis cum singulis senatum tertiae civitatis arbitrum esse; denique si quid civis Romanus a Siculo peteret, esse Siculum iudicem, si Siculus a cive Romano, iudicem Romanum; his verbis pergit: »*ceterarum rerum selecti iudices ex civium Romanorum conventu*[2]) *proponi solent*«, quibus in verbis illa »*ceterarum*

[1]) cf. Cic. pro Flacco. 29. 71. Mommsen St. R. III p. 748.

[2]) »*Ex civium Romanorum conventu*« est lectio optimorum codicum, non »*ex conventu civium Romanorum*«, ut in editionibus Orelliana et Muelleriana exstat.

rerum«[1]), quia omnia alia praecedentibus explicata sunt, ad causas inter cives Romanos ipsos diiudicandas referenda esse Morel[2]) aliique viri doctissimi viderunt. Extremo autem loco additur inter aratores et decumanos lege Hieronica iudicia facta esse.

Tum vero verbis eis, quae sequuntur, quantopere Verres haec iura Siculorum violaverit, significatur, ubi verbis: »*Selecti e conventu aut propositi e negotiatoribus iudices nulli*«, quomodo praetor improbus in causis inter cives ipsos, atque verbis paulo post sequentibus »*de conventu ac negotiatoribus iudices nulli*«, quomodo in causis inter aratores et decumanos egerit, demonstrare Cicero in animo habet[3]). Si autem verba illa »*selecti e conventu aut propositi e negotiatoribus iudices nulli*« sola legamus, negotiatores conventu civium Romanorum non contineri videantur. Quamquam haec falsa esse manifestum est, si respicimus legem ipsam, qua docetur proponi etiam iudices e conventu civium Romanorum, aut, ut planius atque exquisitius dicam, et seligi et proponi e conventu. Ergo inde quoque efficitur negotiatores conventus participes fuisse oportere, quo sententia nostra confirmatur[4]). Sed verba »*selecti*« et »*propositi*« quid sibi velint, ut cognoscamus, redeamus ad legem ipsam, ubi constitutum erat, ut selecti iudices ex conventu proponerentur, mos fuisse. Qui sunt selecti iudices? Mommsen[5]) quidem et de his et de delectis iudicibus haec disputat: »*Delecti dicuntur plerumque iudices ad causam certam aliquam iudicandam dati, selecti contra iudices annuo edicto propositi*«. Qua

---

1) Pro verbis »*ceterarum rerum*«, Mommsen, St. R. III p. 748 adn. 4, »*ceterum*« scribendum proposuit, quod dubito an praeferam.

2) cf. Morel l. l. p. 20 adn. 1; item Voigt, ius naturale II p. 406. Non recte de his verbis iudicat Degenkolb, de lege Hieronica. p. 22.

3) Nam Zumptii (ed. Verr. p. 272) atque Degenkolbii (l. l. p. 23) de hoc sententias nullo modo comprobare possum.

4) Hanc ob rem illud, quod Klotz (ed. or. Cic. II p. 750) iudicat, reiciendum est: negotiatores esse eos Romanos, qui brevi tempore in Sicilia commorati nulli conventui adscripti fuerint. Quod etiam refutatur ea re, quod semper sedes in provincia habere illis opus erat.

5) Mommsen, de colleg. et sodal. p. 65.

sententia comprobata Degenkolb[1]) ob hanc vocem nostro loco usurpatam, quin etiam in provinciis album iudicum a praetore initio anni factum esse statuamus, fieri non posse censuit, id quod aliis quoque causis adiuvari potest[2]). Assentior igitur hac in re viris doctissimis, praesertim cum verbum seligere esse legitimum ea vi, quam Mommsen significat, multis ex locis eluceat[3]). Alterum autem verbum »*proponere*«, refero ad illud praetoris officium in constituendis iudicibus, quod saepius dicitur »*edere ad reiciendum*«[4]) certa in causa. Itaque praeceptum legis Rupiliae sic reddere licet: praetor iudices ex numero, quem e conventu civium Romanorum selectum in albo inscripserat, edere ad reiciendum partibus solebat. Haec autem Cicero Verri obiecit, primum, nullos iudices eum selegisse e conventu, i. e. nullum album iudicum initio magistratus sui constituisse, deinde, certis in causis iudices non proposuisse, i. e. ad reiciendum partibus non edidisse. Neque vero crimini datur, quod non proposuerit ex selectis iudicibus, sed »*ex negotiatoribus*«, idque optimo iure[5]). Qui enim praetor iudices non selegerat, idem selectos proponere non potuit.

---

1) l. l. p. 31—34.

2) cf. Mommsen, St. R. II p. 231 et adn. 3. Dernburg, Heidelberg. kr. Zeitschrift f. d. gesammte Rechtswissenschaft I p. 464.

3) Vide Cic. pro Cluent. 43. 121. ubi, quamquam optimi codices habent »*in lectos iudices*«, tamen »*selectos*« scribendum erit. cf. Plin. hist. nat. 33. 31; Hor. Sat. I 4. 123; Ovid. amor. I 10. 38.

4) Cic. pro Planc. 17. Sell. Die Recuperatio d. Römer p. 172.

5) Qua re autem permotus Cicero hoc duplici modo vituperaverit eam rationem, qua Verres in iure dicundo usus sit, docet verbum »*solere*«, quod ad legis praeceptum exponendum adhibetur. Iure enim id solum constitutum fuisse videtur, ut ex conventu iudices ederentur (conferatur e. c. sponsio ea, quam Scandilius fecit cum Apronio (Cic. in Verr. l. III 137—139). Ille quidem, quod iure ei concessum erat, postulavit: primo de conventu recuperatores, tum, cum Verres hoc negasset, se Romae absolvi); sed consuetudo erat, ut hoc ita fieret, ut initio anni praetor, simul ut laborem minueret (cf. Degenkolb l. l. p. 33), illustrissimos conventus viros seligeret albumque iudicum faceret. Obici igitur praetori illud solum non potuit, quod selectos iudices in albo inscriptos, etsi mos erat, non habuerat, sed incusari eum tantum licebat, si omnino

Quid? ex negotiatoribus nisi album iudicum exstabat, iudices edi necesse esse quo iure hoc Cicero dixit? Iam initio disputationis nostrae exposuimus, inter cives Romanos provinciarum amplissimis atque auctoritate gravissimos fuisse publicanos ac negotiatores, quia omnes fere erant equites atque maxima re familiari. Sed in Sicilia paulo aliter haec se habebant, quod eo, cum Siculis ipsis et privatis et civitatibus decumas conducere liceret, publicani, qui cives Romani erant, soli plerumque ad portoria scripturamque redimenda veniebant. Qui numerus in conventibus Siciliae admodum exiguus fuisse videtur, ut hac in provincia negotiatores solos fere primum locum in societatibus tenuisse luce clarius sit. Iam vero nisi iudices selecti erant, imprimis equites Romanos, atque cives magnis opibus praeditos a praetore editos esse et per se intellegitur, quia hi in albo unoquoque, si quod exstabat, certe numero ceteros longe superabant[1]) et compluribus ex locis concludi potest[2]). Quod autem equitum in Sicilia plurimi fuisse negotiatores nobis videbantur eique ditissimi, re vera sic eveniebat, ut maxima in parte litium negotiatores iudices essent. Suo igitur iure Ciceroni illa verba »*aut propositi ex negotiatoribus iudices nulli*« facere licebat[3]),

---

iudices vel recuperatores non ex conventu c. R. neque ex numero selectorum civium, ut erat usitatum, neque ex omni copia singulis in causis proposuerat.

1) Mommsen St. R. I p. 317 dicit: »*Es ist sogar nicht unwahrscheinlich, dafs einerseits die Zuziehung eines jeden Römers von Ritterrang hier als selbstverständlich galt, andererseits, wer nicht den Census der ersten Classe besafs, im Consilium nicht sitzen konnte.*« Quam sententiam de consilio praetoris positam ad album quoque iudicum referri vult. cf. l. l, adn. 3.

2) Verr. l. III 59. 136: »*praeterea conventus honestus Syracusis multi equites Romani, viri primarii, ex qua copia recuperatores reici oporteret*«; ibid. l. IV 61. 137; pro Flacco XVII 40 in causa liberali tres recuperatores dicuntur »*tres equites Romani*«. — Commemorandum etiam hoc est senatoribus quoque omnibus, qui per provincias iter faciebant et aliquo in loco diutius casu commorabantur, semper ius potestatemque iudicis munere fungendi ultro fuisse. cf. Verr. l. III. 41. 95.

3) Simile quiddam legimus Verr. III 60. 137, ubi iudices eos, quos

ut Verris alterum vitium, si iam album constituere neglexerat, significaret. Dicet quispiam alios quoque equites honestissimosque cives Romanos praeter negotiatores in conventibus fuisse velut nonnullos ex aratoribus. At apud negotiatores accedebat, ut semper in opulentissimis urbibus ob quaestum faciendum habitarent, ubi praetor forum agere solebat. Fortasse etiam ordo negotiatorum inter omnes conventus cives Romanos in hac re praeterea ius praecipuum obtinebat, praesertim cum verbis »*de conventu ac negotiatoribus nulli iudices*«, quibus postea Cicero exposuit, quomodo Verres lege Hieronica iudicia perturbasset, haec confirmari videantur. Atque in his causis inter aratores et decumanos[1]) iudices ex negotiatoribus certe libentissime optimeque propositos esse Degenkolb[2]) ultro sic ratiocinando bene confirmavit: »*Der Rechtsstreit nach der lex Hieronica geschah zwischen den Mitgliedern zweier Berufsklassen. Hier und dort konnte ein Sicilier so gut, als ein römischer Bürger die Steuer fordern oder schulden*[3]). *Also lag eine Gewähr für Unparteilichkeit der Richter nicht sowohl in ihrer Nationalität, als in ihrer Unabhängigkeit von den gegnerischen Interessen: im Zehntprozeſs haben alle aratores ein gemeinschaftliches Interesse den Publicanen gegenüber. Die Publicanen stehen ferner in weitverzweigten Societäten; deshalb eignen sie sich nicht zu Richtern im Zehntprozeſs*«. Praeter verba haec extrema, quibus Degenkolb ipse secum pugnat, quaeque a rebus Siculis, ut demonstravimus, abhorrent[4]), viro

---

praetor Scandilio proponere debebat, »*negotiatores*« appellantur: »*qui plus existumet apud lectissimos senatores pecuniam, quam apud tris negotiatores metum valere*«.

1) cf. Verr. III 12. 30; 14. 37; 25. 61; 26. 65.

2) Degenkolb l. l. p. 26 sq.

3) cf. Sell. l. l. p. 387 et adnotat.

4) Neque laudare possum, quod ex illis verbis Degenkolb, quoniam artius negotiatores et publicanos inter se coniunctos fuisse duabus ex causis, quae facile refutantur, demonstrasse sibi videtur, p. 27. confecerit. Valde perverse enim illud potissimum iudicatur voce conventus maxime aratores significari. Mirum est illud, quod dicit »*territoriale Bedeutung des Wortes conventus*«.

doctissimo assentior. An vero quemquam aptiorem iudicando in litibus aratorum et decumanorum fuisse putabimus, quam negotiatores, qui a neutris partibus stabant? Nam si aratores proponerentur, futurum fuisse, ut hoc damno esset decumanis, Verres ipse dixerat[1]). Neque vero inde praetor improbus conclusit negotiatores e conventu edendos fuisse, sed homines ex sua cohorte proponere sibi licuisse.

Quoniam igitur, quae ad Siciliam pertinent, persecuti sumus, haec ponimus: in provinciis[2]) multis in causis, praecipue inter cives Romanos ipsos iudices a praetoribus proponendos esse e conventu civium Romanorum lege constitutum erat idque fieri potuit ita, ut praetor iudices aut initio anni sui e conventu selectos in albo inscriberet, ex quo proponerentur, aut quotiescumque necesse esset, ex equitibus Romanis et divitissimis civibus, quorum in Sicilia plurimi erant negotiatores fortasse praecipuo iure praediti, in aliis provinciis velut in Gallia et Asia publicani[3]) et negotiatores, ad reiciendum ederet. Illud denique commemorandum est album iudicum et album eorum ex conventu virorum, quibus in consilio praetoris sedere licebat, eundem libellum fuisse[4]). Nam eo loco Verrinarum[5]), quo de capitis lite Sopatri cuiusdam agitur, haec legimus: »*in consilio tamen*

---

1) Cic. in Verr. l. III 11. 28: »*Nam de conventu nullum unquam iudicem nec recuperatorem dedit: iniquos decumanis aiebat omnes esse, qui ullam agri glebam possiderent.*«

2) De similibus in Asia provincia rebus vide s. c. de Asclep. Claz. sociisque. lin. 19. Tribus nauarchis ibi permissum est, ut ubicumque vellent, ibi iudicio certare liceret, sive in patria suis legibus, sive apud magistratus Romanis sive apud Italicos iudices, sive in civitate libera. (Kaibel, inscr. gr. Sic. et Ital. n. 951 habet ἢ ἐπὶ τῶν ἡμετέρων ἀρχόντων, ἢ ἐπὶ Ἰταλικῶν κριτῶν, a Mommseno (CIL I 203 et Bruns, Font.[5] p. 160) legitur ἢ ἐπὶ τῶν ἡμετέρων ἀρχόντων ἐπὶ Ἰταλικῶν κριτῶν.) Illa altera facultas, quae iis data est, certandi apud magistratus Romanos aut apud Italicos iudices est ea, qua Romani in Asia provincia consistentes utebantur.

3) Nam publicanos eodem modo eademque ex causa ac negotiatores iudices imprimis fuisse apparere mihi videtur ex or. pro Flacco IV 11.

4) cf. Momms. St. R. I p. 317 et supra p. 7412 adn. 1.

5) Cic. in Verr. l. II 28. 68.

habebat (scil. Verres) *homines honestos e conventu Syracusano«*. Atque in eo consilio, in quo ex lege Aelia Sentia a. 4. p. Chr. n. servi manumitti solebant, viginti recuperatores in provinciis cives Romanos fuisse apud iurisconsultos[1]) traditur[2]).

Sed praeter hunc in iudiciis constituendis usum praetores c. R. conventus varie in provinciis administrandis adhibebant. Iam illud, quomodo Scipio, cum per Asiam iter fecit, civibus Romanis per singulos conventus pecunias imperasset, attulimus. Saepe ad legiones supplendas ex his civibus in provinciis habitantibus milites conscriptos esse eorumque dilectum factum esse et ex coloniis et ex singulis conventibus legimus[3]).

Iam vero quaeritur, quae ratio fuerit inter conventus atque eas urbes, in quibus consistebant cives Romani. Ac illud quidem iam in prooemio explicavimus consistentes non iure domicilii fuisse, quam ob rem munera honoresque, quibus cives incolaeque urbis fungebantur, non suscipiebant. Id quoque iam attigimus, si primum Romanos in oppidis provincialium habitantes respicimus, ius eis dictum esse solis a magistratibus Romanis[4]); unde efficitur, ut ex iis, qui urbi praepositi erant, nullo modo pependerint ipsamque rempublicam in republica tenuerint. Sic in eis potissimum titulis, in quibus una cum ordine populoque urbis ipsius aliquid agunt[5]) aut decernunt[6]) nobis ante oculos pro-

---

1) Gai Inst. I 18—21; Ulp. fr. I 12—14.

2) Haec omnia autem liberae reipublicae temporibus ac fortasse prima aetate principatus valebant. Nam sub imperatoribus magis magisque — primo solis in provinciis principis — cives Romani ex praetorum consiliis eiciebantur atque ex cohorte praesidis fiebat quasi ordo consiliariorum, qui mercedem accipiebant et adsessores vocabantur. cf. Mommsen St. R. I p. 318.

3) Cic. ad Att. V 18, 2; Caes. bell. civ. III 4. 1; 102. 2; 103; Hirt. bell. Alex. 56. 4.

4) Cic. pro Flacco 29. 71.

5) Huiusmodi tituli plerumque incipiunt: *»Ὁ δῆμος καὶ οἱ πραγματευόμενοι (κατοικοῦντες) παρ' ἡμῖν Ῥωμαῖοι«* ..... vel *»Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ οἱ πραγματευόμενοι« κτλ.*

6) Sterrett, Papers I p. 55 n. 28 (app. n. 63): *»δεδόχθαι τῇ [βουλῇ καὶ τῷ δ]ήμῳ καὶ τοῖς πραγματευομ[ένοις παρ' ἡμῖν Ῥ]ωμαίοις«*. cf. Eph. epigr. V p. 155 (app. n. 57).

ponuntur. Sed aliter res se habuisse videntur Isaurae in urbe Pisidiae, ubi cives Romani consistentes, qui una cum ordine populoque civitatis in duobus titulis[1]) commemorantur, non illis verbis, quae usurpata esse ceteris in titulis et apud scriptores videmus, sed formula: »*οἵ τε συμπολιτευόμενοι Ῥωμαῖοι*« significantur. Quae vox *συμπολιτεύεσθαι* quid sibi velit, elucet ex titulis illis apud Le Bas-Waddington, Inscr. d'Asie Min. n. 1290 et 1292, ubi quattuor oppida Lyciae, quae unum populum[2]) efficiebant eodemque ordine utebantur »*συμπολιτευόμενα*« dicuntur[3]). Inde concluditur cives Romanos sic adiectos cum urbe Isaura artius coniunctos fuisse unamque civitatem cum illa gessisse. Quam ob rem hanc societatem longe aliter constitutam, quae in tam longinqua ac recondita regione versabatur, ubi neque commercium florebat, neque agri fertiles aratores alliciebant, non esse ex se natam opinor, sed illuc Isauricis victis colonos a Romanis, ut in alias Pisidiae urbes, Antiochiam, Cremnam, Olbasam, imperii ibi firmandi causa deductos esse simulque urbis Isaurae administrationem, id quod saepissime factum est, inter veteres cives novosque colonos esse divisam. Si hoc recte a nobis statuitur, habemus in illa urbe non societatem civium Romanorum negotiandi causa consistentium, sed colonorum rempublicam cum provincialium urbe coniunctam[4]).

In Occidentis vero terris conventus civium Romanorum, si in vicis indigenarum conditi erant, non respublicas in rebus publicis effecisse, ut in Orientis urbibus, sed Romanos ipsos mox superiorem locum tenuisse ipsosque oppidum administrasse, ut per suos magistratus muros exstruerent atque defenderent, si pericula immi-

---

1) Bull. de cor. Hell. XI (1887) p. 67 n. 46 (app. n. 92); Sterrett, The Wolfe Exped. III p. 107 n. 181 (app. n. 93).

2) cf. ibid. n. 1296.

3) Similiter utitur Strabo XIV 10 verbo *συμπολίζειν*. cf. Merkens, Quomodo Romani Asiam prov. constituerint. p. 4.

4) De his vide Zumptium in comm. epigr. I p. 464—474; cf. Marquardt, St. V. I p. 118 adn. 4 et p. 124 sq. Similiter apud Strabonem (X 460) coloni ab Augusto Patras deducti vocantur... »*οἱ ἐν Πάτραις Ῥωμαῖοι*« cf. Kuhn, Entstehung der Städte der Alten p. 400—413.

nerent, iam dictum est. Sed inter huiusmodi quoque conventus est exemplum quoddam valde memorabile, i. e. conventus Mascululae, ubi cives Romani et Numidae uno conventu coniuncti erant, ut ab illis peregrinos homines, quia hoc in loco urbs eiusque administratio deerat, receptos esse coniciamus. Quae admodum mira videntur atque vix explicari[1]) possunt. Nam illud ipsum erat horum conventuum proprium, quod cives Romani, qui praecipuo iure variisque privilegiis ceteris habitatoribus imperii antecedebant, ab his illo modo segregabantur.

Nam quantum Romani negotiatores ceterique ex Italia oriundi re vera, non iure alio nisi civitate sua adiuti propter magnitudinem imperii in eis urbibus, ubi consistebant, valuerint, multis exemplis probari potest, ex quibus efficitur, ut illorum conventus par fuerit urbi ipsi saepiusque potentior. Pompeius enim, cum pugna ad Pharsalum commissa fugisset atque in Syriam intraturus esset, cognovit in Cypro arcem Antiochiae captam esse excludendi sui causa, quod factum esset »*consensu omnium Antiochiensium civiumque Romanorum, qui illic negotiabantur*«[2]). Italici vero, qui Cirtae consistebant iam aetate belli Iugurthini, suadebant Adherbali, ut oppidum a Iugurtha obsessum traderet. Is autem, quamquam adversario suo iure minime confidebat, perniciemque ut sibi ab illo pararetur providebat, tamen, »*quia penes eosdem, si advorsaretur, cogundi potestas erat, ita, uti censuerant Italici, deditionem facit*«[3]). Quod ex his apud

---

[1]) Titulus divo Augusto dedicatus paulo post mortem huius imperatoris positus esse videtur. »*Conventus civium Romanorum et Numidarum*« fortasse minime accurate dictum est pro formula »*conventus civium Romanorum et Numidae*«. Vix enim conferri potest alter titulus Africanus a. 167 p. Chr. n. ex Mauretania Caesariensi, ubi »*veterani et pagani consistentes aput Rapidum*« murum exstruxisse traduntur »*pecunia et sumtu omni suo id est veteranoru[m et paganorum] intra eunde[m] m[u]rum i[n]habitantium*« (cf. Ephem. epigr. V n. 955). Unde elucet in hoc quoque loco cives Romanos atque indigenas inter se coniunctos commune unum corpus effecisse. Sed hi erant veterani, non negotii gerentes cives, ut Mascululae.

[2]) Caes. bell. civ. III 102.

[3]) Sall. Iug. 26.

scriptores narratis apparet, idem optime ex titulis cognoscitur, quia Romani non raro ante cives urbis ipsos nominantur, velut in titulo Cyziceno legimus: »*cives Romani, qui Cyzici consistunt, et Cyziceni*«[1]). In iureiurando autem Assiorum, quamquam ordinem sequuntur, tamen praecendunt populum Romani, eodemque in titulo, cum de legatione ad Caligulam mittenda agatur, quae ex primis optimisque Romanis ac Graecis eligi dicitur, Romani ante Graecos leguntur[2]). Deliacis denique in titulis, etsi post Athenienses nominantur, tamen ceteros in insula habitantes Romani antecedunt. Atque etiam, si non Athenienses, sed »*Graeci* (Ἕλληνες)« una cum Romanis titulum dedicant, saepissime primo loco appellantur[3]).

Minus autem, quam in provincialibus urbibus, Romani praevalebant in civitatibus liberis. Ibi enim causas privatas civium Romanorum, sicut omnium in territorio urbis peregrinorum a iudicibus civitatis liberae disceptatas esse demonstrari potest. Cuius rei gravissimum argumentum sumitur ex eo loco orationis Ciceronis pro Flacco, quem paulo antea commemoravimus[4]). Ubi Cicero Deciano, postquam quaesivit, cur in civitate libera (Apollonideae)[5]), ac non in urbe aliqua provinciae negotiaretur, aut Pergami, aut Smyrnae, aut Trallibus, ubi et multi cives Romani essent et ius a Romanorum magistratu diceretur, obicit haec: »*Otium te delectat: lites, turbae, praetor odio est, Graecorum libertate gaudes*«, quibus verbis orator iudices graecos Apollonideae clementiores, a quibus Deciano in hac libera civitate ius dabatur, opposuit severiori praetori Romano, cuius severitatem ille ea re, quod in libera civitate consistebat, effugit. Ex his autem verbis etiam hoc concludi posse videtur in capitis quoque litibus cives Romanos magistratui civitatis liberae sub-

---

1) CIL III Supp. 7061 (app. n. 53).

2) Mirum tamen videtur inter legatos ultimo in titulo enumeratos unum modo nomen Romanum inveniri (*C. Varius. C. f. Voltinia Castus*).

3) vide Schoefferum l. l. p. 196.

4) Cic. pro Flacco 29. 71. cf. Mommsen St. R. III p. 706.

5) Apollonidea, non Apollonis, est huius urbis nomen. cf. Marquardt St. V. I p. 346 adn. 7; Bull. de cor. Hell. XI p. 85 adn. 1.

iectos fuisse, velut ex decreto eo, quod de Chio, insula libera, anno u. c. 689 factum est[1]), idem efficitur. Sed haec in singulis foederibus cum eiusmodi civitatibus ictis varie constituta esse putaverimus[2]). Illud tenendum est civitates liberas, si modo potestas iuris dicendi in litibus quoque capitis civium Romanorum apud se habitantium eis erat, temporibus tantum liberae reipublicae eam habuisse. Sub imperatoribus enim, quorum aetate hae civitates multo peiore condicione utebantur, ut erat imperatorum plurimorum studium exaequandi magis magisque omnes imperii partes[3]), nullam civitatem liberam hoc ius obtinuisse eis, quae narrantur de nonnullis civitatibus, docemur. Nam libertas saepe ob eam causam iis erepta est, quia hoc iure in cives Romanos usi sunt, velut sub Tiberio Cycicus libertatem amisit, non modo ob illam rem, quam supra diximus, sed etiam quod Cyziceni cives Romanos in vincula coniecerant[4]), atque Rhodus sub Claudio, quia cives Romani ibi cruci affixi erant[5]).

Atque etiam ceteris in rebus cives Romani in civitatibus liberis consistentes florebant praeter ceteros incolas. Nam ex foedere cum Ambraciensibus icto[6]) intellegimus de solvendis vectigalibus, quae huic urbi liberae in territorio suo exigere placuit, cives Romanos vel potius tum omnes togatos exemptos esse. Similia vero in omnibus foederibus eiusmodi imprimis cum iis urbibus ictis, quae intra imperii fines sitae erant[7]), non defuisse conicere nobis licebit.

---

1) CIGr 2222 (app. n. 51): *»οἵ τε παρ' αὐτοῖς ὄντες Ῥωμαῖοι τοῖς Χείων ὑπακούωσιν νόμοις.«*

2) lex Antonia de Termessibus (Bruns, Fontes.[5] p. 91; Dirksen, Versuche p. 158; Goettling, 15 röm. Urk. p. 15).

3) Voigt, ius naturale II p. 769—772.

4) vide locos, quos supra p. 36 adn. 5 attulimus.

5) Dio Cass. 60. 24. cf. Mommsen St. R. III p. 702 sq.

6) Liv. 38. 44. cf. etiam leg. Ant. de Term. col. II lin. 31.

7) cf. Mommsen St. R. III p. 691 sq.

III.

Iam quod tertio loco disputare in animo habemus, ubi congregationes civium Romanorum primae ortae sint, quam late per singulas provincias diffusae sint, quae fuerint causae, cur tollerentur: ab eo, quod modo exposuimus, ab illa scilicet consuetudine Romanorum, qua in omnibus foederibus, quae cum civitatibus peregrinis aut in amicorum numerum receptis aut superatis inibant, nonnulla commoda ac privilegia commercii civibus suis reservaverint, profecturi sumus.

Si pauci Romani vel Italici negotii gerentes in urbe ea, quacum foedus eiusmodi ictum erat, sede collocata illis privilegiis utebantur, hos universos, qui eodem iure praecipuo eademque meliore condicione erant, inter se coniungi per se intellegitur. Itaque nescio an ponam illa foedera cum exteris civitatibus inita genuisse ex se primas societates civium Romanorum principiaque harum inveniri in civitatibus foederatis aut devictis, quibus libertatem, quamvis circumcisam, victores reliquerant. Carthagine enim iam illa aetate, qua tertium cum Romanis bellum exarsit, Italici habitabant[1]), quos inter se consociatos fuisse illas ob causas opinor. Syracusis vero iam temporibus belli Punici secundi Italicos, quamvis paucos, negotiatos esse Livius[2]) auctor est. In opulentissimis igitur urbibus foederatis extra Italiam negotiatores ac mercatores Romani Italicique iam consistebant iique consociati, ut equidem conicio, antequam provinciae constituebantur. Tum vero intra fines provinciarum, quas incredibili celeritate ab Italicis occupatas esse initio disputationis demonstravimus, brevi in omnibus fere oppidis peregrinorum similes societates oriebantur.

---

1) Appian. Lib. 92.

2) Livius 29. 1. 16: »*Graeci res a quibusdam Italici generis eadem vi, qua per bellum ceperant, retinentibus concessas sibi ab senatu repetebant.*« (a. 549/215.)

Sed priusquam singulas provincias peragramus, ut investigemus, quibus in civitatibus adhuc civium Romanorum congregationes monumentis cognoverimus, primum pauca nobis dicenda esse videntur de uno conventu civium Romanorum intra Italiae fines collocato: de conventu Capuae[1]), qui in numero antiquissimarum eiusmodi societatum habendus est. Nam Capuam, cum ad Hannibalem bello Punico secundo defecisset, rursus captam anno 543/211 acerbissime punivisse victores notum est. Nam praeterquam, quod necati sunt duces rebellionis, senatus decrevit, ne Capua ab illa aetate esset municipium omnibusque magistratibus atque senatu nudatus totus ager Campanus fieret populi Romani[2]). Huius autem regionis, quam non modo Italiae, sed etiam orbis totius terrarum fuisse fertilissimam Cicero iudicat, incolas civitate Romana, quam sine iure suffragii posse-derant, amissa idoneos non esse placuit, qui umquam rursus cives Romani aut socii nominis Latini fierent, ut nihil aliud eos fuisse ac peregrinos dediticios[3]) nemo ignoraret. Sed in his non acquieverunt duri victores, quorum intererat hanc potentissimam in Italia aemulam funditus exstingui. Itaque maximam multitudinem devictorum e patria expulsam partim trans Tiberim, partim trans Lirim, aut Volturnum deduxerunt; paucos, magna ex parte opifices cauponesque, domi reliquerunt, ut aratoribus Romanis, qui in agrum veniebant, res ad vivendum necessarias praeberent. Eos licebat vitam degere inter se coniunctos collegiis privatis circa templa deorum collocatis, aut in pagis vicisque, quibus magistri praeerant, quod per illam aetatem, donec rursus colonia

---

1) Cic. pro Sestio IV 9.

2) Liv. 26. 16. 34; 31. 29. Cic. de leg. agr. II 29. 81; 30. 82; 32. 86. 88; 33. 89. I 6. 19. »*Maiores nostri Capua magistratus, senatum, consilium commune, omnia denique insignia reipublicae sustulerunt neque aliud quidquam in urbe nisi inane nomen Capuae reliquerunt*«.

3) sed anno 565/189 decretum est, ut Campani rursus Romae censerentur, insequenti anno, »*ut sibi cives Romanas ducere uxores liceret*« (cf. Liv. 38. 28. 3; 36. 5), quo ex tempore tamquam ius civitatis sine iure suffragii iterum eos accepisse Mommsen exposuit, St. R. III p. 141 et p. 581 adn. 4.

hoc in loco condita est, saepissime factum esse multis ex titulis perlucide apparet.

Sed ad hos, ut significavi, novi habitatores in terram accesserunt, aratores Romani, qui agrum publicum, qui a censoribus Romae civibus locabatur[1]), conduxerant. Qui Romani inter illos peregrinos Campanos consistentes superiores partes tenebant, qua re ipsa efficiebatur, ut ipsi quoque se consociarent, ut rempublicam, quae aberat, societate privata compensarent. Sic natus est Capuae ille conventus aratorum ceterorumque civium Romanorum, qui domicilia in aedificiis loci, quae eam ob causam non erant deleta, collocabant[2]). Sed non modo aratores, qui agros conduxerant, in eo exstabant, sed etiam ii Romani, qui agros ibi emerant, quia senatus nonnumquam inopia pecuniarum coactus erat partes agri publici venum dare[3]). Frequentissimi igitur Romani, fertilitate agrorum perducti, illuc convenerant eorumque conventus maximus fuisse videtur. Itaque de his habitatoribus, cum, ut colonia eo deduceretur, rogatio lata esset, Cicero dicere potuit: »*Totus ..... ager Campanus colitur et possidetur a plebe et a plebe optima et modestissima, quod genus hominum optime moratum optimorum et aratorum et militum ab hoc plebicola* (scil. a novis colonis ex plebe urbana sumptis) ..... *funditus eicitur*«[4]).

Usque igitur ad bellum Marsicum horum conventus eodem modo constitutus est ac ceteri in provinciis iisque potissimum Occidentis. Nam primum quidem inter peregrinos ibi cives Romani meliore iure multisque commodis usi consistebant, deinde

---

1) Liv. 27. 11. 8.

2) Cic. de lege agraria. II 32. 88: »*Itaque hoc perscriptum in monumentis veteribus reperietis, ut esset urbs, quae res eas, quibus ager Campanus coleretur, suppeditare posset, ut esset locus comportandis condendisque fructibus, ut aratores cultu agrorum defessi urbis domiciliis uterentur, idcirco illa aedificia non esse deleta*«.

3) Liv. 28. 46; 32. 7. 3. Saepius accidebat etiam, ut aratores, qui agros tantum conduxerant, possessores se ferrent. cf. Liv. 41. 27. 10; 42. 19. Cicer. de lege agraria. II 29. 81; 30. 82; Licinian. p. 15 ed. Bonn.

4) Cic. de leg. agr. II 30. 84.

eodem loco erat neque municipium neque colonia, quam ob rem cives, ut quasi rem publicam sibi ipsi constituerent, conventum efficiebant. Mirum autem est etiam post illud bellum, quo Campani incolae agri ipsi quoque certe civitatem Romanam rursus cum iure suffragii assecuti sunt[1]), conventum permansisse, id quod discedere a more iam diximus. Sed facile hoc explicatur. Nam conventus aratorum municipii loco iam diutius fuit eodem modo, quo collegia pagique Campanorum. Accessit, ut illi aratores atque possessores maxima ex parte ex familiis ditissimis Romae orti praestare se illis Campanis opificibus ceterisque putarent, quam ob rem, quoad administratio municipalis deerat, suum collegium retinebant.

Sed anno 695/59 lege Iulia viginti milia colonorum in Campaniam deducta sunt, simulque Capua, Calatia, Casilinum, longe opulentissima oppida agri, coloniae Romanae facta[2]). Atqui luce clarius est, si illa, quae conventuum erant propria, respicimus, coloniis Caesarianis absumptum esse oportere conventum civium Romanorum Capuae sociosque conventus factos esse cives coloniarum. Haec quidem locus ille in Ciceronis oratione pro Sestio habita (IV 9), quem iam supra attulimus, praeclarissime confirmat, ubi orator rem ante annum 695 u. c. factam narrans conventum Capuae affert, atque cum de eo tempore, quo orationem habuit, initio anni 698, verba facit, »*eosdem homines*«, qui antea conventum habuerint, »*nomine commutato*«, ut ipsius verbis utar, »*colonos decurionesque*« appellat[3]). Repugnant sane duo loci in Caesaris de bello civili libris[4]) atque unus in Ciceronis epistulis ad Atticum[5]), quibus locis, quamquam ad res post

---

1) vide pag. 50 adn. 3.

2) Caes. bell. civ. I 14. 4; Vellei. II 44 4, Sueton. v. Caes. 20.

3) Cic. pro Sest. IV 9: »*Qua de causa et tum* (i. e. anno 691/63) *conventus ille Capuae ..... huic apud me P. Sestio maxumas gratias egit et hoc tempore* (i. e. initio anni 698/56) *eidem homines nomine commutato coloni decurionesque ..... beneficium P. Sesti testimonio declarant .....*«

4) Caes. bell. civ. I 14. 5; III 21. 5.

5) Cic. ad Att. XV 3. 1.

annum 695/59 gestas pertinent (loci Caesariani sunt anni 706/48, Ciceronianus anni 710/44), tamen »*conventus Campanus*«[1]) commemoratur. Qua in difficultate nihil proferre possum, quod omnimodo satisfaciat. Opinor, si coniecturam maxime commodam earum, quae mihi in mentem venerunt, dicere licebit, locupletes conventus aratores, quibus coloni ex plebe urbana in agrum deducti non erant grati, etsi ipsi quoque civibus coloniarum adscripti erant decurionesque earum fiebant, tamen simul inter se consociatos mansisse, quam societatem scriptores nomine conventus etiam eis temporibus, cum iam exstabant coloniae, appellabant. Nam ex Caesarianis locis eos, qui nomine conventus comprehenduntur, summum locum in agro obtinuisse apparet[2]). Sed societas eiusmodi, quoniam tunc ex civibus optimis decurionibusque coloniarum constabat intra muros coloniae Romanae, non recte conventus dici potuit. Vocabulum autem, quod tam diu suo iure in usu fuerat, perdurasse nobis videtur.

Iam perlustremus singulas in singulis provinciis imperii congregationes civium Romanorum, quae in titulis aut apud scriptores nobis traditae sunt primumque in Sicilia.

Atque in hac quidem insula Romani, ut in Graecia totoque fere Oriente, cum terram in potestatem suam redegissent urbes Graecas repppererunt. Quas, ubicumque invenerant in provinciis ordinandis, Italicis urbibus pares ponebant, ut graecae πόλεις peregrini iuris sub imperio Romanorum manerent. Sed in Sicilia Romani non tam diu, quam in Oriente manus abstinebant. Immo vero hanc insulam victores celeriter in terram Romanam

---

1) »*Campanus*« est adiectivum nominis »*Capua*«.

2) Caes. bell. civ. I 14. 5 narratur gladiatores Caesaris »*circum familias conventus Campani*« a Lentulo, vel si Ciceronem sequimur (ad Att. VII 14. 2) a Pompeio ipso »*custodiae causa*« distributos esse. Hos non inter colonos a Caesare deductos dispertitos esse »*custodiae causa*«, sed inter illustrissimos aratores Romae natos, qui a partibus optimatium stabant, nullo negotio intellegitur. Bell. civ. III 21. 5 conventus contra M. Coelium Rufum, cum Capua potiri in animo habebat, arma cepisse atque eum hostis loco habuisse traditur, quam ob rem ad extremum ille consilio suo destitit.

convertebant, donec prius, quam alia provincia civitate Romana donaretur. Itaque Sicilia nobis tamquam inter Occidentem atque Orientem ponenda est, quod, quamquam status insulae in occupando idem ac terrarum Orientis erat eamque ob rem societates civium Romanorum in modum collegiorum sic, ut in Oriente, intra urbium graecarum muros collocabantur, tamen, ut conventus Occidentis, non diu exstabant, sed postquam multum pro facultatibus suis, ut Romanorum atque Graecorum humanitas cultusque in insula misceretur, contulerunt, mature ad municipia coloniasque in urbibus Siculorum constituendas traducebantur. Itaque conventus civium Romanorum ibi plurimi temporibus rei publicae liberae florebant paucique permanebant usque ad primam aetatem principatus. Maximum numerum eorum sub Caesare vel paulo post eius mortem exitum habuisse putamus, quoniam tunc multae urbes civitate Romana, ceterae latino iure donabantur[1]). Uno igitur tantum titulo de societate civium Romanorum docemur, cetera testimonia sumenda sunt ex Verrinis.

Fertilissima autem illa insula tam prope Italiam sita locus valde aptus atque idoneus fiebat negotiatoribus Romanis ad collocandas ibi pecunias. Agricultura ibi, quae uberrima magnum modum frumenti[2]) edebat, cuius maiores semper copias in urbem Romam importare propter multitudinem huc confluentem necesse erat, spe et cogitatione quaestus a domo agricolas Romanos permultos rapiebat iam inde a temporibus exeuntis tertii saeculi a. Chr. n.[3]). Itaque Verris accusator iudicibus hanc insulam ab eo tam graviter vexatam his verbis illustrare potuit: »*Quid?*

---

1) Mommsen (CIL X p. 713) opinatur etiam ex Diod. XIII 35 totam Siciliam civitatem Romanam post Caesaris necem ab Antonio accepisse. Vide quod contra haec Beloch (Bevölkerung der griech.-röm. Welt p. 326 sq.) disseruit. Mihi quoque tunc insulae ius latinum solum datum esse videtur.

2) Cic. in Verr. III 5. 11; Liv. 26. 40.

3) De Italicis Syracusis aetate belli Punici secundi consistentibus vide supra p. 49. Diodorus, ubi de Siciliensi servorum tumultu a. 620/134—622/132 dicit, »*τοὺς κατὰ Σικελίαν Ἰταλικούς*« commemorat. fragm. l. XXXIV 27. 32. 34 cf. CIL X 6950.

illa, quae forsitan ne sentiamus quidem, iudices, quanta sunt! quod multis locupletioribus civibus utimur, quod habent propinquam, fidelem fructuosamque provinciam, quo facile excurrant, ubi libenter negotium gerant; quos illa partim mercibus suppeditandis cum quaestu compendioque dimittit, partim retinet, ut arare, ut pascere, ut negotiari libeat, ut denique sedes ac domicilium collocare« [1]).

Itaque illis potissimum temporibus, cum nulla municipia aut coloniae civium Romanorum in insula exstabant, societates civium latius patuisse per totam provinciam, etiamsi nulla exempla eorum nobis cognita essent, tamen nostro iure conicere nobis liceret. Quamquam ne testimonia quidem desunt. Nam in titulo quodam »*Italici*«, qui Halaesae consistebant, L. Cornelium Scipionem honorant [2]), ex Verrinis docemur de conventibus civium Romanorum Syracusis, Lilybaci, Panormi, atque de civibus Romanis, qui permulti negotiabantur Agrigenti [3]), quique habitabant Messanae [4]). Unde in multis aliis quoque urbibus Siciliae easdem societates civium Romanorum fuisse verisimile est.

In Sardiniam quoque paulo post insulam captam Romanos immigrasse Livius significat eo loco [5]), quo memoriae tradidit M. Porcium Catonem iam anno 556/198 feneratores Romanos ex insula fugasse.

Quod attinet ad terras Orientis, cives Romani cum sociis

---

1) Cic. in Verr. l. II 3. 6 cf. etiam ibid. l. V 61. 158.

2) CIL X 7459 = I 533 (app. n. 1) Mommsen num hunc titulum ad L. Scipionem, qui anno 561/193 iam praetor Siciliae erat, summo iure referat, mihi valde dubium videtur, propterea quod in titulo eodem vox »*caussa*« littera s geminata scripta est. Litterae autem geminatae tunc non erant in usu (Garruci, Sylloge inscr. lat. p. 214 n. 873). Neque vero opus erat eum, qui ab Italicis Halaesae honorabatur, praetorem fuisse Siciliae. Fieri enim potuit, ut etiam magistratus Romanus aut homo privatus aliquo modo de illis bene meritus titulo celebraretur. Atque L. Cornelii Scipiones non pauci in rebus Romanis florebant, velut is, qui anno 671/83 consul erat.

3) Cic. in Verr. l. II 62. 153; IV 43. 93.

4) ibid. l. IV 11. 26; V 63. 163.

5) Liv. 32. 27.

latini nominis primi in Delo insula considebant eorumque collegium praeter cetera floruit, ut in eo considerando paululum nobis subsistendum esse videatur. Nullus enim locus mercaturae cum Orientis partibus faciendae aptior erat, quam haec parva insula, quae inter Europam et Asiam sita emporium quoddam mercibus ab altera terra ad alteram transportandis fieri debebat[1]). Et perspiciebant haec Italici quoque mercatores, qui paulo post bellum cum Antiocho gestum ibi domicilia collocabant. Ex his enim temporibus usque ad tertium bellum Macedonicum invenimus iam singula nomina Romanorum aut Italicorum in titulis[2]). Quos constitisse in insula elucet inde, quod eadem nomina diversis temporibus occurrunt. Multo autem celerius res crescebant post bellum Macedonicum tertium, quo confecto in insula, Atheniensibus Deliorum hostibus una cum Haliarto et Lemno tradita[3]), portus omnibus vectigalibus exemptus condebatur a Romanis, quod precibus Italicorum iam in ea habitantium permotos illos fecisse Homolle[4]) opinatur, ut mihi quidem videtur, optimo iure, praesertim cum ea re Rhodiorum commercium valde florens subito exstinctum sit[5]). Atque etiam Corintho, oppido harum regionum opulentissimo, a. 608/146 deleta homines

---

1) Strabo X 5. 4 dicit: »*ἐν καλῷ γὰρ κεῖται τοῖς ἐκ τῆς Ἰταλίας καὶ τῆς Ἑλλάδος εἰς τὴν Ἀσίαν πλέουσιν.*

2) cf. Homolle, *Les Romains à Delos* in Bull. de cor. Hell. VIII p. 75—158, ubi etiam perpauca nomina ex aetate ante bellum cum Antiocho gestum afferuntur (p. 83): nam haec verba facit vir doctissimus: »*les courants commerciaux peuvent être précipités par des révolutions politiques, mais ils sont déterminés à leur origine par une pente naturelle et un mouvement spontané.*« Homolle hac disputatione omnia, quae de societate Deliaca ex titulis, qui permulti a Franco-Gallis eruti sunt, hauriri possunt, praeclarissime collegit, ut si quis de his rebus scribere in animo habet, eum sequi coactus sit, velut saepe Val. de Schoeffer in ultima parte libri, qui inscribitur »*De Deli insulae rebus*«. Berol. 1888.

3) Falsum est, quod Valerius Antias apud Liv. 33. 30 memoriae tradidit; vide Polyb. 30. 18 (Homolle p. 84; Schoeffer p. 182 sq.).

4) Homolle p. 91.

5) Polyb. 31. 7. 10—12.

negotii gerentes undique variis ex populis[1]) propter portum opportune situm immunemque omnium vectigalium in insulam conveniebant, quae cum omnium Orientis mercium, quae aut exportabantur aut importabantur, tum servorum negotiationis[2]) unum solumque emporium, quamvis parvum, tamen maxime celebratum totius imperii Romani fiebat[3]).

Tum vero imprimis Italici quoque permagna multitudine insulam adierunt. Eorum enim nomina multis titulis traduntur, quibus aut soli[4]), aut una cum Atheniensibus[5]), insulae dominis, vel cum Graecis universis ibidem habitantibus[6]), aut cum Atheniensibus ceterisque Graecis[7]), vel ceteris peregrinis, qui in insula negotiabantur[8]), viros de Delo bene meritos, plerumque ma-

---

1) urbes populosque collegit Schoeffer p. 187 sq.

2) vide Strabonis verba XIV 5. 2, quo loco etiam illud de insula praeclarissimum affertur: »ἔμπορε κατάπλευσον, ἐξελοῦ· πάντα πέπραται.«

3) Cic. de imp. Pomp. 18. 55: »*tum cum insula Delos tam procul a nobis in Aegaeo mari posita, quo omnes undique cum mercibus atque oneribus commeabant, referta divitiis, parva sine muro nihil timebat.*«

4) Italici vel Romani soli: Bull. de cor. Hell. V p. 391 (app. n. 25) ex saeculo secundo exeunte a. Chr. n. (Homolle p. 116); CIGr 2285 b (app. n. 28) titulus intra annos 110—100 a. Chr. n. circa positus; Bull. de cor. Hell. VIII p. 119 (app. n. 29) incerti temporis (in hoc titulo distinctionem pono non post, sed ante nomen Ῥωμαίων, ut hoc pertineat ad »οἱ ἐν Δήλῳ ἐργαζόμενοι« velut in praecedenti lapide).

5) Athenienses et Romani: Bull. de cor. Hell. IV 220 (app. n. 44) incerti temporis; CIGr 2287 (app. n. 37).

6) Italici et Graeci: Bull. de cor. Hell. IV 219 (app. n. 23) ex medio fere saeculo secundo a. Chr. n.; CIL III Suppl. 7240 (app. n. 33) A. Terentius Varro, qui in titulo commemoratur, est is, qui anno 679/75 repetundarum accusatus est.

7) Athenienses et Romani ceterique Graeci: Bull. de cor. Hell. V p. 463 (app. n. 24) ex medio fere saeculo secundo a. Chr. n.; CIL III Suppl. 7237 (app. n. 32) L. Licinius Lucullus in titulo nominatus quaestor annis 666/88 aut 667/87 tum Asiam pro quaestore administravit; Bull. de c. Hell. III p. 151 (app. n. 38); ibid. p. 156 (app. n. 39), VIII p. 175 (app. n. 40), III p. 373 (app. n. 42).

8) Athenienses et Romani ceterique peregrini mercatores: Bull. de cor. Hell. VIII p. 123 (app. n. 26) ex anno 643/111

gistratus Romanos, aut epimeletas. — Athenienses honorant. Negotia quidem dedicantium varie significantur: aut »*qui negotiantur*«, graece »*οἱ πραγματευόμενοι*«, »*οἱ ἐργαζόμενοι*«, quibus vocibus appellantur negotiatores in insula consistentes, aut »*οἱ ἔμποροι καὶ οἱ ναύκληροι*« additis saepe his verbis »*οἱ καταπλέοντες εἰς τὴν νῆσον*« quo modo nominantur mercatores ac navicularii, qui in insulam cum mercibus suis commeabant, ubi saepe diutius commorabantur.

Nonnumquam vero putes te in Italia ipsa versari: omnibus in locis insulae nomina latina inventa sunt, omnibus rebus se immiscuisse Italicos omniumque participes fuisse accepimus. Nusquam per totum Orientem tot tituli latini aut bilingues reperti sunt. Itaque Delum eam terram fuisse luce clarius est, unde et lingua latina et mores et ius Romanorum profecta atque per Orientem longius progressa sunt, donec totam per Asiam minorem effunderentur atque cum cultu humanitateque Graecorum et Orientis gentium coalescerent. Atque etiam diu insula quasi caput omnium Italicorum in Oriente consistentium fuisse videtur[1]).

Quod si quaerimus, quomodo Italici negotiatores mercatoresque ibi inter se consociati fuerint: hos non conventuum ritu negotia gessisse, sed collegium, cui praeerant sex magistri Mercurii, graece nominati *οἱ Ἑρμαϊσταί*, effecisse iam diximus. Huius enim collegii sociorum nomina, quae nos quidem novimus, omnia uno exepto[2]) latina sunt, titulique ipsi aut latine scripti, aut bilingues. Italicos autem hoc uno in loco sic coniunctos fuisse explicatur cultu Mercurii et Maiae. Eodem modo constitutae erant socie-

---

a. Chr. n.; CIGr 2286 (app. n. 27) ex eodem fere tempore; CIGr 2288 (app. n. 43); Bull. de cor. Hell. III p. 371 (app. n. 41), XI p. 262 (app. n. 47) incerti temporis.

[1]) cf. Mommsen in commentario ad CIL III Suppl. 7241 (app. n. 95), unde cognoscimus Italicos quoque in aliis oppidis velut Alexandreae habitantes Apollini Deliaco statuas consecrasse. cf. etiam Bull. de c. Hell. VIII p. 107 (app. n. 96).

[2]) CIL III Suppl. 7212 (app. n. 13) *Ζέφυρος Ἀγαθοκλέους (Zephuru[s A]gathocle[tis. f.])*.

tates mercatorum ex Oriente Deli consistentium, quos Italicos in collegio ordinando imitatos esse putari potest.

Atque primis post insulam Atheniensibus traditam temporibus Hermaistarum collegium conditum esse antiquissimo illo titulo comprobatur, quo sex magistri Mercurio et Maiae de suo donum dant[1]). Libertini enim, ut in hoc titulo, sine cognomine appellati post medium septimum saeculum non inveniuntur[2]). Praeterea duo nomina magistrorum occurrunt duobus in antiquioribus titulis anni 574/180, qui in Apollinis aede reperiebantur[3]). Quantopere autem haec societas floruerit ex aedificiis varii generis ab ea exstructis facile cognoscitur. Nam aedem Mercurio[4]), porticum[5]) multasque statuas fecisse hos accepimus. Aedificia ea vero, quae circa templum Mercurii facienda curaverunt, amplissima atque ornatissima fuisse videntur: ruderibus enim, quae Franco-Gallorum effossiones prodiderunt, hodie nunc illustratur, quanta magnificentia, quanta luxuria illo in loco olim versata sit[6]).

Sed posteriore aetate inde ab ineunte fere saeculo primo a. Chr. n. Hermaistarum collegium auctum est hominibus Apollinem atque Neptunum colentibus, ita ut non solum Mercurii magistri societatem administrarent, sed una cum his etiam magistri Apollinis (*Ἀπολλωνιασταί*) et Neptuni (*Ποσειδωνιασταί*). Horum autem deorum cultores fuisse ex parte Graecos eosque ex graecis Italiae urbibus concludo ex ea re, quod inter duodecim magistros Mercurii, Apollinis, Neptuni, qui praeerant maiori collegio, nomina Graeca sola hominum inferioris Italiae reperiuntur. In titulo enim anni 680/74[7]), unum nomen graecum inter duodecim exstat: *Διογένης Πρωτογέν[ου υἱὸς] Ἡράκλειος*. Hunc Heracleotam autem fuisse civem urbis graecae huius nominis in Italia

---

1) CIL III Suppl. 7218 = Bull. de c. Hell. I p. 285 (app. n. 11).

2) Hoc Mommsen attulit in commentario tituli. Homolle lapidem posuit intra annos 160—140 a. Chr. n.

3) Bull. de c. Hell. VI p. 45 n. 147. 148. Nomina sunt: *Minatius Staïus* et *L. Oppius*. cf. Homolle l. l. p. 88 sq.

4) CIL III Suppl. 7217 (app. n. 12).

5) CIL III Suppl. 7212 (app. n. 13), 7215 (app. n. 15).

6) Describuntur ab Homollio aedificia collegii. l. l. p. 113—116.

7) Bull. de c. Hell. VIII p. 145 sqq. (app. n. 21).

sitae[1]) mihi apparere videtur ex altero titulo[2]) ex schedis Cyriaci edito, qui undecim nomina magistrorum eiusdem collegii praebet, inter quos pariter Graecos solos ex urbibus Italiae natos, unum Neapolitanum[3]), alterum Tarentinum[4]) videmus. Neque vero Homollii, neque Schoefferi sententiam comprobare possum, qui tria collegia in unum coaluisse putant, sic, »*ut cum conciliabulum unum haberent, tum magistros communes duodecim vel quaternos e singulis collegiis electos in annum*«[5]). Nam de societatibus cultorum Neptuni et Apollinis, antequam cum Hermaistis coniuncti sunt, nihil accepimus. Quodsi antea haec collegia Graecorum[6]) fuisse, ut Schoeffer iudicat, arbitramur, non intellegitur, cur post coniunctionem cum Hermaistis non plura nomina graeca magistrorum inveniantur[7]). Ergo equidem censeo non tria collegia opes atque administrationem contulisse, sed unum collegium Hermaistarum Italicorum[8]) sub sex magistri

---

[1]) ad Heracleam Ponticam titulum refert Schoeffer. l. l. p. 188 et p. 193; atque ad CIL III Suppl. 7233 adnotat Mommsen: »*Ethnicum* Ἡράκλειος, *quod cuinam urbi proprium sit, non liquet, sed apte cogitabitur de Pontica.*«

[2]) Bull. de cor. Hell. I 87—88 (app. n. 22). In hoc titulo unum nomen intercidisse cum Homollio (l. l. p. 147) et Schoeffero (l. l. p. 190 adn. 54) equidem iudico.

[3]) *Σαραπίων Ἀλεξάνδρου υἱὸς Νεαπολείτης.*

[4]) *Σίμαλος Τιμάρχου υἱὸς Ταραντῖνος.*

[5]) Haec sunt Schoefferi verba l. l. p. 190.

[6]) Quod Homolle cum Reinachio (Bull. de cor. Hell. VII p. 466 et 467) opinatur (ibid. VIII p. 129 et adn. 3) Posidoniastas Berytenses, quos eodem modo collegium effecisse ex titulo Bull. de c. Hell. VII 467—476 elucet, atque Apolloniastas, quos ipsos quoque cives urbis alicuius Syriae aut Palaestinae fuisse conicit, cum Italicis postremo unum collegium habuisse, perverse ab eis iudicatur, nisi fallor.

[7]) Hoc iam Homollio mirum videbatur. cf. p. 147.

[8]) Nam quod »*conlegia*« nominantur in titulo CIL III Suppl. 7235, quo L. Cornelius Sulla proconsul a. 667/87 honoratur, ex ea re concludi necesse non est (aliter Schoeffer l. l. p. 217) nonnulla collegia Romanorum tum fuisse Deli. Nam praeter Italicorum collegium multa alia Orientalium fuerunt ibi, ut iam dixi, quae omnia illo verbo comprehensa esse arbitror. Titulum autem idcirco latine scriptum esse credo, quia Italicorum societas alias commoverat, ut participes lapidis ponendi fierent.

Mercurii graecos homines ex Italiae urbibus oriundos ab anno fere 100 a. Chr. n.[1]) sibi adscivisse atque eorum gratia Apollinis et Neptuni[2]) aliorumque deorum graecorum[3]) cultus addidisse numerumque magistrorum duplicasse, inter quos Graecis municipales suos creare licebat. Sed Italici semper primum locum in collegio obtinuerunt. Nam duobus in titulis, quos magistri Mercurii, Apollinis, Neptuni coniuncti posuerunt, praeter deos ipsi honorantur[4]). Atque etiam Romanam cultum Larum compitalium in collegio instituebant[5]).

Hac igitur in insula, in qua omnes fere totius orbis terrarum gentes una vivebant, iam ante bellum sociale Italicos cum Graecis Italiae inferioris se coniunxisse deorumque graecorum cultum accepisse videmus, ut illud Mommseni, quo docet eos primum inter exteros totius Italiae incolas in unum populum coaluisse, si ultimos ante bellum Marsicum annos solos respicio,

---

1) Nam titulus is, in quo primo Hermaistae, Apolloniastae, Posidoniasteae vocantur, anno 657/97 a. Chr. n. positus est. cf. Bull. de cor. Hell. IV p. 190 (app. n. 20).

2) Neptunus in urbibus graecis Italiae praecipue cultus esse videtur, velut Posidoniae, unde urbis nomen, aut Tarenti (cf. Hor. od. I 28. 29).

3) Nam et Herculem eos veneratos esse ex titulo anni 657/97 apparet.

4) Titulus anni 657/97 (cf. adn. 1) dedicatus est *Ἡρακλεῖ καὶ Ἰταλικοῖς*, anni 680/74 (Bull. de c. Hell. VIII p. 146; = app. n. 21) *Ἀπόλλωνι καὶ Ἰταλικοῖς*. Eisdem lapidem posuit Philostratus quidam, Philostrati f. Neapolites (Bull. de c. Hell. VIII p. 128; = app. n. 30), qui certe socius graecus illius collegii fuit. Hunc autem cognovimus ex tribus aliis titulis, quorum ille saeculi primi a. Chr. n. ineuntis, quem Paris, Bull. d. c. Hell. VIII p. 488, edidit, maximi momenti est. Unde apparet cum tribus Romanis, fratribus Egnatiis, hunc Graecum arte coniunctum fuisse illisque beneficia tribuisse, quam ob rem eorum *εὐεργέτης* dicitur. Similiter Graecos duos ex Heraclea Italica, ut mihi quidem videtur, amicitia cum viris Romanis usos esse videmus in titulis eiusdem fere aetatis (cf. Bull. de c. Hell. VIII p. 143 et XI p. 270).

5) Bull. de c. Hell. VII p. 12—14 a. 657/97 aut 658/96. Magistri (»*Κομπεταλιασταί*«) sunt libertini sociorum atque inter hos Neapolitanus quidam.

confirmari mihi videatur. Sed ex ea ipsa ratione, qua collegium Italicorum cultorum Mercurii posterius demum auctum cultoribus Apollinis atque Neptuni ex Italiae urbibus graecis ortis societatem graeco-italicam factum esse perspeximus, optime comprobatur illos Graecos neque nomine Italicorum comprehendi, neque horum congregationibus contineri, priusquam tota Italia civitate Romana donata est.

Quatenus autem collegia varia mercatorum undique Delum confluentium, praecipue societas Italicorum, insulae administrandae particeps fuerit, quamquam tot titulos deliacos servatos habemus, tamen nullam rem, quae eo spectet, satis compertam habemus. Summa rerum penes Atheniensium magistratus fuisse videtur, etsi in omnibus rebus, quae quidem ad mercaturam pertinerent, quid placeret collegiis, exquisitum esse verisimile est[1]. Permultum enim Athenienses ad aedificandum atque reficiendum portum faciebant idque fortasse permoti atque adducti a mercatoribus illis, quos ex divitiis suis etiam pecunias, ut sumptus sustineri possent, addidisse putemus, praesertim cum ii ipsi maximos fructus inde perceperint.

Sed anno 666/88 atque iterum anno 685/69 insula florentissima atque opulentissima crudelitate Mithridatis funditus deleta est. Illo anno 666/88 viginti milia hominum, magna ex parte Italicorum, in insula vitam amisisse proditum est, qua ex re facile concluditur, quanta multitudine haec societas tunc fuerit. Vix aegre atque pedetemptim recreata erat convalueratque ex illa prima calamitate, cuius rei testimonia ex titulis sumuntur: cum depopulatione anni 685/69 insulae mercatura in aeternum exstincta est. Accedit, quod mercatores ex Oriente profecti magis magisque cum mercibus suis recta via ad portus Italiae, maxime Puteolos, quibus nomen Deli parvae datum est, atque Ostiam navigabant, ut emporio procul in Aegaeo mari sito diutius neque egerent, neque uterentur. Postquam igitur synodi mercatorum orientalium iam prius sublatae sunt, societas quoque Italicorum in insula paulatim numero minuebatur, praesertim cum

---

[1]) Schoeffer l. l. p. 196.

anno 710/44[1]) a Caesare Corinthus colonia deducta rursus reficeretur.

Iam vero ceteris quoque maris Aegaei insulis quae similiter ac Delus commode opportuneque mercaturae sitae erant plurimaeque summa fertilitate florebant, victores ad domicilia collocanda alliciebantur. Lesbi quidem et Mytilenis[2]) et Methymnae[3]) Romani negotii gerentes consociati, in urbe primo loco nominata iam temporibus liberae rei publicae habitabant eademque aetate Chii[4]), Augusti temporibus Coi[5]), sub imperatore Claudio Rhodi[6]). Sed Septimio Severo demum anno 195 p. Chr. n. dedicatus est ille titulus Cretensis civium Romanorum Gortynae consistentium[7]). Creta enim temporibus liberae rei publicae propter multitudinem piratarum, qui ibi considebant[8]), non erat ea terra, quam idoneam mercaturae, cui potissimum tutae pacataeque regiones opus sunt, Romani extra Italiam quaestum facientes sedem sibi deligerent.

Iam pridem autem Graeciam ipsam, quamquam deserta ac vetere magnificentia opibusque carens in summa egestate, etsi victores ei valde parcebant varieque etiam eam adiuvabant, versabatur, tamen, quia tam commode Italicis sita erat, negotiatores occupaverant[9]). Nam Argis, quae urbs in auctoritatem et potentiam Corinthi deletae successisse videtur, societatem Italicorum florentem iam septimo saeculo a. u. c. fuisse ex titulis constat. Quorum uno[10]) »*Italici, quei Argeis negotiantur*« Q. Cae-

---

1) Hertzberg, Die Gesch. Griechenlands unter d. Herrsch. d. Römer. I. p. 460 sq.

2) CIL III 455 (app. n. 48).

3) Bull. de cor. Hell. IV p. 433 (app. n. 49). Mitteil. d. deutsch. archäol. Inst. z. Athen XI (1886) p. 287 (app. n. 50).

4) CIGr 2222 = Dittenberger, Sylloge inscr. Gr. I n. 276 (app. n. 51). cf. etiam App. bell. mithridat. 47.

5) Paton and Hicks, The inscriptions of Cos n. 344 (app. n. 51 a).

6) Dio Cass. 60. 24.

7) Eph. epigr. VII p. 425 n. 5 (app. n. 52).

8) Mommsen, RG I6 p. 690.

9) Cic. in Pis. 40, 96; Plut. Sulla 17; Cic. ad fam. XIII 17; App. bell. mithr. 45, ubi cives Romani Zacynthi, quod oppidum ad sinum Euboicum situm fuisse ex verbis scriptoris apparet, consistentes afferuntur.

10) CIL III 531 (app. n. 2).

cilium Metellum, qui consulatu perfunctus anno 685/69 intra annos 686/68 et 688/66 Creta capta, quae erat, ut modo dixi, praedonum domus furtorumque receptrix, imperator appellatus est, admiratione prosequuntur, propter has ipsas res ab eo gestas, nisi fallor, quibus mare Aegaeum oraeque commercio rursus patefiebant. Altero quoque titulo[1]) eiusdem societatis atque eo, qui Olympiae prodiit[2]), urbis Elidis atque civium Romanorum ibi consistentium magistratus Romani honorantur, dum Romani Mantineae negotiantes una cum hac urbe, quae in titulo *ἁ πόλις τῶν Ἀντιγονέων* appellatur[3]), illustrissimum quendam civem huius civitatis honoribus afficiunt.

Macedoniae vero provinciae quae regiones ad meridiem spectant, ubi urbes graecae exstabant, eas primas Romani negotii gerentes cepisse videntur. Nam ibi et Beroeae[4]) et Edessae[5]), quae sita erat in illa via, quae ab Aegaeo usque ad Adriaticum mare mediam per Macedoniam ferebat, societates locum habuisse ex titulis cognoscitur. Atque etiam post pugnam Pharsalicam iam magnam multitudinem civium Romanorum per totam provinciam dispersam fuisse Caesaris[6]) verbis de edicto Pompei nomine Amphipoli proposito, quo non modo Graecorum, sed etiam civium Romanorum iuniores eius provinciae iurandi causa convenire iubebantur, demonstratur.

Porro ex Thracia unus titulus solus[7]) societatis nobis est

---

[1]) CIL III Suppl. 7265 (app. n. 3).

[2]) Dittenberger, Achäol. Ztg. 1877 p. 38 (app. n. 6).

[3]) Le Bas-Foucart I 2 n. 352 f. (app. n. 5). Nomen Antigoneae urbi datum, postquam Antigonus, dux Achaeorum, in bello cum Cleomene gesto eam anno 222 a. Chr. cepit, retinuit usque ad Hadrianum imperatorem, qui antiquum nomen Mantineae restituit. cf. Plut. Arat. 45.

[4]) Delacoulonche rev. d. soc. sav. 5a (1858) p. 791 (app. n. 8).

[5]) Le Bas-Foucart I 2 n. 1345 (app. n. 9).

[6]) Caes. bell. civ. III 102. 2.

[7]) Lapides duos, unum Mesembriae (CIGr 2053), qui affert *τοὺς κατεργαζομένους τὴν πόλιν*, alterum Selymbriae (Arch.-epigr. Mitteil. VIII 204), ubi dicuntur *οἱ κατοικοῦντες ἐν Σαλυμβρίᾳ*, cur ad cives Romanos referendos esse Liebenam (röm. Vereinsw. p. 157; ipse aliter p. 96) iudicaverit, nescio. Multo enim facilius est eos ad colonos graecos dirigere, ut in comm. alterius tituli conicitur.

in urbe Sesto[1]) in Chersonneso collocata, id quod, si reputamus hanc terram sero atque tardissime Romanorum armis pacatam esse, mirum videri non potest.

Similiter fere ac Sicilia Asia provincia a negotiantibus Romanis brevi tempore quasi inundata est, praesertim cum C. Gracchus hereditatem ab Attalo populo Romano relictam equitibus tradidisset rogatione ea, qua provincialibus decumae omnisque generis vectigalia a publicanis conducenda imponebantur[2]). Atque haec quidem verba facit Cicero de Asia in oratione de imperio Cn. Pompei habita[3]). »*Nam et publicani, homines honestissimi atque ornatissimi, suas rationes et copias in illam provinciam contulerunt ...... Deinde ex ceteris ordinibus homines gnavi atque industrii partim ipsi in Asia negotiantur ..... partim eorum in ea provincia pecunias magnas collocatas habent.*« Itaque, quamquam fortasse Ciceronem, quod paulo post eodem loco[4]) exposuit fore, ut tota fides pecuniarum in foro Romano concideret, si Asiam populus perdidisset, pro consuetudine sua nimium fuisse putabimus, tamen, quanta vi haec »*lux Asiae*« reipublicae fuerit ad cives recipiendos eorumque pecunias cum lucro collocandas satis apparet[5]). Quid? Mithridatis iussu anno 666/88 octoginta milia[6]) atque adeo, ut alio loco traditur[7]), centum quinquaginta milia Romanorum ibi interfecta esse quis est qui ignoret? Qui numeri, etiamsi utrumque vel certe secundum quidem excedere[8]) rei actae modum concedimus, nonne plane et dilucide loquuntur? Idem vero conventus in omnibus fere urbibus ad oram sitis atque in multis terrae mediterraneae, quae mercatura celebratae erant,

1) Bull. d. c. Hell. IV (1880) 516 (app. n. 10).
2) cf. Mommsen, RG II p. 110 sq.
3) Cic. de imp. Pomp. VII 17. 18.
4) ib. VII 19.
5) cf. etiam Cic. ad Quint. fr. ep. I 1. 12. 49.
6) Cic. de imp. Pomp. III 7; Vell. II 18; Liv. Epit. 78; App. bell mithrid. 22. 23; Dio Cass. frgm. 176; I p. 167 ed. Sturz.
7) Plut. Sulla 24.
8) cf. Ihne RG V 311.

collocati, quos titulis cognovimus, testantur. Nam ex urbibus ad mare Propontidem aut Aegaeum aut prope oram Cyzicum[1]), Lampsacum[2]), Ilium[3]), Assum[4]), Pergamum[5]), Smyrnam[6]), Erythras[7]), Teum[8]), Ephesum[9]), Tralles[10]) societates civium Romanorum intra muros habuisse constat; idem verisimile mihi esse videtur etiam in his, ubi cives Romanos aliquo numero constitisse scimus: Adramytii, Prienae, Stratoniceae, Cauni. Nam de Adramytio atque Cauno apud Appianum[11]) memoriae traditum est, quomodo ibi Mithridatis iussum cives exsecuti essent, atque in illis urbibus Priena et Stratonicea agitur de Romanis, qui accolebant templa illic Minervae[12]), hic Hecates Laginae[13]) et Iovis

---

1) CIL III Suppl. 7061 (app. n. 53); Mitteil. d. deutschen archäol. Inst. z. Athen VI p. 41 (app. n. 54).

2) Cic. Verr. l. I 27. 69; Appian. bell. civ. V 137.

3) Le Bas-Waddington, Inscr. d'Asie Min. n. 1743 n. (app. n. 55); CIGr 3598b. 3614.

4) Permulti sunt tituli huius societatis: Le Bas-Waddington l. l. n. 1034a = Sterrett, Papers of the American School I p. 45 n. 20 (app. n. 56); Ephem. epigr. V p. 155 (app. n. 57); Sterrett l. l. I n. 13 (app. n. 58); 14 I (app. n. 59); 14 II (app. n. 60); 19 (app. n. 61); 21 (app. n. 62); 28 (app. n. 63) cf. etiam ib. n. 70.

5) Cic. pro Flacco 29. 71; Jahrb. d. kgl. preufs. Kunstsamml. III (1882) p. 86 (app. n. 64).

6) Cic. l. l.

7) Bull. d. c. Hell. IV p. 161 (app. n. 65); Le Bas-Waddington l. l. n. 50 (app. n. 66).

8) Bull. d. c. Hell. IV p. 179 sq. (app. n. 67).

9) Le Bas-Waddington l. l. n. 143 (app. n. 68), aliter Boeckh CIGr 2961. cf. Mitteil. d. deutsch. archäol. Inst. z. Athen XIV (1889) p. 101 (aliter Ephem. epigr. V p. 58 idem titulus legitur); App. bell. mithr. 23; Dio Cass. 51. 20.

10) Cic. pro Flacco 29. 71; App. l. l.; CIGr 2930 (app. n. 70); Bull. d. c. Hell. V p. 347 (app. n. 71); CIGr 2927 (app. n. 72); Sterrett, Papers I p. 108 n. X (app. n. 73) = Mitteil. d. deutsch. archäol. Inst. z. Athen VIII p. 328 sq.; cf. etiam Sterrett, an epigr. journey II p. 325 n. 379.

11) App. l. l.

12) CIGr 2906 (app. n. 74).

13) Bull. d. c. Hell. V p. 191 = XI p. 146 sq. n. 47 (app. n. 75); ibid. p. 147 n. 48 (app. n. 76); ibid. p. 148 n. 51 (app. n. 77).

Panamari[1]). In interioribus autem partibus provinciae societates notae sunt: Cibyrae[2]), Apameae[3]), Thyatirae[4]), Traianopoli[5]), Prymnessi[6]), ἐν Νάσει(?)[7]), in loco vici hodie Usuftcha nominati[8]).

Sed simulatque imperii fines per Asiam minorem prolati sunt, negotiatores ceterique quaestus facientes Romani sequebantur. Aetate Mithridatis iam in Bithynia ab Appiano[9]) atque in Ponto ab Hirtio[10]) commemorantur, cum Caesar Pharnacem

---

1) Bull. d. c. Hell. XII p. 255 (app. n. 78). In his titulis cives, Romani, peregrini, qui aderant ad templa, quae nominantur, ad dies festos agendos unaque donis sacerdotum fruebantur, enumerantur. Quaeritur, utrum Romani negotiatores ac mercatores ad aedes ipsas consistentes afferantur, an qui ex propinquis urbibus vel ex tota Caria convenerant. Equidem hos Romanos Stratoniceae habitasse puto atque senatus populusque, qui in titulo Bull. de cor. Hell. XI p. 147 n. 48 commemoratur et cives aliorum titulorum mihi videntur Stratonicenses fuisse, quibus Hecates sacrarium Laginae situm cum vico huius nominis attributum erat. Conferatur epistula Sullae et sc. de Stratonicensibus factum a. 673/81; Viereck, Sermo graecus p. 24 sqq.; V. etiam Bull. d. c. Hell. XII (1888) p. 89—97.

2) Bull. d. c. Hell. II p. 598 (app. n. 79); ib. p. 599 = XIII p. 333 adn. 1 (app. n. 80); ib. p. 333 (app. n. 81) cf. Le Bas-Waddington l. l. n. 1218.

3) CIL III 365 (app. n. 83); Rev. archéol. XII p. 221 (app. n. 84); Mitteil. d. deutsch. arch. Inst. z. Athen XVI (1891) p. 147 (app. n. 85); ib. p. 148 (app. n. 86).

4) Bull. d. c. Hell. X (1886) p. 422 (app. n. 87).

5) CIGr 3874 (app. n. 88). Titulus repertus est in vico, qui hodie dicitur Ushak, quam ob rem eum Mommsen (RG V p. 332) rectius ad antiquam Traianopolim referre mihi videtur, quam Sterrett, qui Acmoniam coniecit. cf. Papers I p. 31. Vide tabulam in Journal of Hellenic Studies VIII (1887) p. 461 et Ramsay, The Historical Geography of Asia Minor p. 138 et 149 sq.

6) CIL III Suppl. 7043 (app. n. 89).

7) Journal of Hell. Studies IV (1883) p. 432 n. 42 (app. n. 90) repertus in vico hodie nominato Ineh in Phrygia antiqua.

8) Sterrett, an epigr. Journey II p. 37 n. 36 (app. n. 82). Usuftcha situm est, ubi fere antiqua urbs Themissonium.

9) App. bell. mithrid. 71. Cives Romani Nicaeae Bithyniae consistentes apud Dion. Cass. 51. 20.

10) Hirt. bell. Alexandr. 41; 70. 5—7.

vicerat. Atque etiam in partibus Asiae minoris ad meridiem spectantibus Romani occurrunt per Lyciam, Pisidiam, Isauriam, Ciliciam. Nam negotiatores in Lycia consistentes, cum indigenae sub Claudio imperatore a. 43 p. Chr. n. rebellassent, primos, ut saepissime in omnibus imperii terris, trucidatos esse Cassius Dio[1]) narrat. In Pisidiae urbe Conana[2]) ordo populusque ibique consistentes Romani, si modo titulus recte suppletur, Septimium Severum honorant. Cives Romani Isaurae habitantes[3]) utrum mercatores, qui domicilia quaestus faciendi causa collocaverant, an coloni eo deducti fuerint, iam disserui. De Romanis Ciliciae, qui erant aut publicani aut negotiatores, saepe agitur a Cicerone in epistulis[4]), quas proconsul huius provinciae scripsit, eodemque loco de iis, qui pauci in Cypro insula negotiabantur[5]), quorum societatem Salamine fuisse ex titulo ibi reperto[6]) cognovimus.

In Syria Antiochiae, quae erat longe opulentissima celeberrimaque urbs totius fere Orientis, conventum civium Romanorum sedem habuisse[7]) iam temporibus reipublicae liberae mirum non est. Sed haud facile intellegitur, quomodo, ut Romani nulla fere alia in urbe Syriae atque Palaestinae nisi Hierosolymis, ubi iam anno 697/57 habitabant[8]), post provinciam a Pompeio compositam domicilia collocarent, factum esse possit. Etsi enim casu testimonia deesse putabimus, tamen id quoque spectandum est, quam astuti callidique mercatores fuerint Syri ipsi, qui propter has artes tantopere per totum imperium noti erant, quantopere merces eorum, quas ubique summo lucro vendebant[9]).

---

[1]) Dio Cass. 60. 17.

[2]) Sterrett, The Wolfe Expedition III p. 339 n. 473 (app. n. 91).

[3]) Bull. de cor. Hell. XI p. 67 n. 46 (app. n. 92); Sterrett l. l. III p. 107 n. 181 (app. n. 93).

[4]) e. c. ep. ad Atticum V 21. 8.

[5]) l. l. 6; Caesar bell. civ. III 103.

[6]) CIL III 6051 (app. n. 94).

[7]) Caes. bell. civ. III 102; cf. etiam Dio Cassius 68. 24.

[8]) Iosephus ant. Iud. XIV 5. 2 (cf. XXIV 6. 2).

[9]) vide quae de mercatoribus Syriacis in ultima parte huius capitis p. 79) disputo.

Quam ob rem civi Romano, quamquam tot commodis commercii fruebatur, difficillimum fuisse certamen in hac provincia cum indigenis manifestum est. Sed iam prima aetate principatus etiam ad has oras mercatores Romani maiore numero commeasse videntur[1]), unde usque ad Indiam tendebant[2]); nam edocuisse hos, quantum Charax oppidum prope sinum Persicum situm a litore abesset, Plinius dicit[3]). Traianus vero, cum a. 115 p. Chr. n. Ctesiphontem ad Tigrim venisset, ibi cives Romanos repperit, ut una cum Parthis eos ad concilium convocaret[4]).

Neque vero illud alterum caput Orientis, ut ita dicam, Alexandria Aegyptia carebat societate civium Romanorum[5]), iamque multo prius, quam terra in dicionem Romae redacta est. A negotiatoribus enim atque naviculariis Italicis inde maxime frumentum, quod permagnum inprimis Romam exportabatur, transvectum esse verisimile est[6]).

Inter Africae provinciae proconsularis urbes Carthaginem ipsam, cuius cives tam diu de summa rerum cum Romanis certaverant, cum devicta esset, Italicos negotii gerentes primam

---

1) cf. Tac. Ann. II 82. 14: »*Forte negotiatores vivente adhuc Germanico Suria egressi laetiora de valetudine eius attulere.*«

2) Plin. H. N. VI 101. 3) ibid. VI 140.

4) Dion. Cass. epit. Xiph. 68. 30.

5) CIL III Suppl. 7241 (app. n. 95); Bull. d. c. Hell. VIII p. 107 (app. n. 96); cf. etiam Suet. v. Aug. c. 98.

6) In titulo Bull. de cor. Hell. VIII 107 nominantur *Ῥωμαίων ναύκληροι καὶ ἔμποροι*. Hunc titulum Apollini Deliaco consecratum eiusque in templo collocatum dedicabant Locho, viro Ptolemaei Euergetis II cognato, quia, cum Alexandria ab eo rege caperetur (a. 628/126) salutem suam defendendam suscepisset. Eadem fere aetate alter titulus ipse quoque Deli repertus cum statua exprimente virum nudum in genua procumbentem (vide Bull. d. c. Hell. XIII (1889) p. 113—123 cum tab. II) positus esse videtur. Eum, qui hoc opere celebrabatur, cuius nomen non servatum esse dolemus, Hirschfeld coniecit fuisse L. Lucullum, eum, qui a. 667/87 Alexandriam transvexit, ut regem Aegypti commoveret, ut Sullam Athenas obsidentem classe adiuvaret. Quod Mommsen (in commentario tituli), quamvis »*acute excogitatum*« sit, comprobari posse negat compluribus ex causis, quarum gravissima mihi ea videtur, quod »*ad proelium aliquod ducit opus statuarium*«.

allexisse[1]) iam diximus. Sed postquam bello tertio confecto opulentissimum huius orae emporium sublatum est, Utica in locum aemulae succedebat conventumque civium Romanorum excipiebat. Hic enim permultos negotiatores temporibus belli Iugurthini constitisse Sallustius testatur[2]) eorumque societatem primo saeculo permagnam fuisse compluribus ex locis scriptorum[3]) elucet. E conventu Uticensi etiam Cato, cum urbem contra Caesarem defenderet, trecentos illos, quorum numerus simul nomen erat, quibus senatus loco Pompeiani utebantur, supplevit[4]) idque e negotiatoribus, honestissimis atque illustrissimis viris societatis. In ea quoque sola Cato nitebatur, cum Uticensem plebem ex oppido eiecisset senatumque in custodia teneret. Hoc igitur modo facile quasi quoddam municipium Romanum, in quo

---

1) App. Lib. 92 (cf. ib. c. 5 et Polyb. III 22).

2) Sall. bell. Iug. 64. 5.

3) Cic. in Verr. l. I 27. 69; Valer. Max. IX 10. 2; Caes. bell. civ. II 36; Auct. bell. Afric. 68; 90; Plut. Cato min. 59 et 61; Dio Cass. 43. 10.

4) Auct. bell. Afric. 88. 90; App. bell. civ. II 95. Plutarchi (Cato minor 59 et 61) narrationem falsam, qua explicavit trecentos fuisse omnes negotiatores Uticae consistentes Mommsen, RG III p. 408 adn., suo iure iudicavit esse natam inde, quod fontem suum (bell. Afric. 90) ille scriptor rerum non perspexisset. In bell. Afric. autem c. 90 verba scriptoris, quae huc spectant, non sic, ut Wölfflin et Miodoński ea emendaverunt vel potius corruperunt, legenda sunt. Hoc enim modo mutilant textum: »*Postero die mane in oppidum introiit* (sc. Caesar) *contione advocata Uticenses* [*incolas*] *cohortatus gratias pro eorum erga se studio egit, cives autem Romanos* [*negotiatores*] [*et eos*], *qui* [*inter CCC*] *pecunias contulerant Varo et Scipioni, multis verbis accusatos et de eorum sceleribus longiore habita oratione ad extremum, ut sine metu prodirent, edicit.*« Sed primum quod dicunt negotiatores non recte Uticensibus opponi, cum multos oppidanos mercaturam fecisse verisimile sit, non quaeram sitne idem mercaturam facere ac negotiari, sed negotiatores hominibus peregrinae condicionis saepissime oppositos esse demonstravimus (p. 4 et adn. 3); deinde adnotant negotiatores diversos non esse ab iis, qui pecunias contulerant ad bellum gerendum. At trecenti illi pecunias contulerant, et trecentos non omnes negotiatores Uticae consistentes fuisse iam supra Mommsenum secutus dixi. Alias causas illorum refutare non opus est.

trecenti illi ordinem efficiebant, re ipsa ex urbe peregrina factum est.

Praeter hunc conventum in provincia proconsulari erant illis temporibus multi alii atque magni[1]), ex quibus apud auctorem belli Africani nominantur conventus civium Romanorum Hadrumeti atque Thapsi consistentium[2]), ab eodem Romani Zamae[3]), »*negotiatores Italici aratoresque*« in oppido Thysdro[4]), atque a Sallustio[5]) Vagae habitantes afferuntur. Sed multos conventus in hac provincia finem habuisse iam primo saeculo p. Chr. n. constat, quia maximae urbes his temporibus vel iam antea, velut Utica ipsa anno 718 36[6]), municipia aut coloniae Romanae fiebant, quam ob rem ex his regionibus praeter unum[7]) eumque ex oppido humili Masculula nullum titulum, quo conventus indicatur, adhuc servatum habemus.

Quod attinet ad Numidiam, in capite terrae Cirta iam temporibus belli cum Iugurtha gesti Italici habitabant, qui quomodo certamen Adherbalis cum adversario confecerint, antea a nobis memoratum est.

Venimus ad partes Occidentis, primumque in Hispaniam, quam primam inter has Romani armis primamque cultu humanitateque sua ceperunt. Apud scriptores tantum de conventibus negotiatorum legimus, titulique exstant praeter unum nulli, qui huc pertinent. Apud Caesarem atque Hirtium conventus Cordubae[8]) atque Hispali[9]) afferuntur, quorum cives Caesari non, ut in Africa, resistebant, sed, ut postea de Illyrico quoque videbimus, a partibus eius stabant. Sed praeterea magnus numerus

---

1) Cic pro Ligario VIII 24 (cf. Vell. II 11. 2).

2) Auctor bell. Afric. 97. 3) ibid. 4) ibid. c. 36.

5) Sall. bell. Iugurth. 47.

6) Dio Cass. 49. 16; Plin. H. N. V 4. 24. Hadrumetum a Traiano coloniae ius adeptum est, unde nomen *Col. Concordia Ulpia Traiana Augusta frugifera Hadrumetum.* cf. CIL VIII p. 14.

7) Ephem. epigr. V 597 (app. n. 97); titulum Eph. epigr. V n. 638 (app. n. 98) ad cives Romanos referri iure ecquis iudicet, valde dubito.

8) Caes. bell. civ. II 19. 3; 21; Hirtii bell. Alex. 57; 58; 59.

9) Caes. bell. civ. II 20.

societatum per totam terram, praecipue per Baeticam fuisse videtur[1]. At partim a Caesare[2], partim ab Augusto[3] multa oppida provinciarum civitate donabantur[4]. Nam huius temporibus secundum Plinium in tribus Hispaniis iam erant quinquaginta municipia vel coloniae Romanae[5] atque oppida latini iuris quadraginta octo[6]. Vespasianus paeninsulae totius, quae urbes vel regiones nondum habebant ius Latii Romanumve, iis ius latinum dedit, ex quo tempore omnes fere conventus ex Hispania evanuisse iudicavi[7].

In Gallia autem nobis discernendum esse inter Narbonensem et tres Gallias atque illic conventus civium Romanorum floruisse aetate iam liberae rei publicae ex Ciceronis verbis, quibus hanc provinciam in oratione pro Flacco habita illustravit, effici posse significavimus[8]. Sed tamen nullo in titulo conventum commemorari inde explicandum videtur, quod sub primis imperatoribus ex conventibus civium Romanorum oppida, ex oppidis municipia facta aut ceteris in locis civitates latino iure donatae erant[9].

Atque in tres etiam Gallias iam pridem cives Romanos immigrasse ex paucis in Caesaris commentariis de bello gallico locis, ubi agitur de rebellione ab omnibus fere Gallis hieme anni 701/53—702/52 facta elucet. Fuere plurimi negotiatores, qui frumentum in terra emptum aut exportarent, aut exercitui Cae-

---

1) Caes. bell. civ. II 18. 4 et Hirt. bell. Alex. 56. 4.

2) Dio Cass. 43. 39.

3) ib. 54. 23.

4) Strabo III 2. 15 (Jung, Roman. Landsch. p. 19).

5) in Baetica XIX (Col. IX; mun. X); in provincia Tarraconensi XXV (Col. XII; mun. XIII); in Lusitania VI (Col. V atque I mun.).

6) in Baetica XXVII, in prov. Tarraconensi XVIII, in Lusitania III.

7) In Spart. v. Hadr. 12. 4, ubi »*Italici*« nominantur, cum Froehnero (Philol. V Suppl. [1889] p. 29) »*Italicenses*« in textum recipiendi sunt. Nam in Hispania, quomodo sub Hadriano et nomen illud et res ipsa, quae eo significatur, inveniri potest?

8) cf. etiam Diod. V 27; Sall. Catil. 40. 1.

9) Plin. H. N. III 4. 31—37 septem colonias civium Romanorum atque triginta tria oppida aut civitates iuris latini enumerat.

saris conferrent[1]). Ut de civibus Romanis in Lycia consistentibus accepimus, ita hic quoque a Gallis primi interfecti sunt bonaque eorum direpta. Quae narrantur de negotiatoribus Cenabi in Carnutum civitate[2]) eademque de civibus apud Aeduos per totam civitatem habitantibus et Cabilloni et Novioduni[3]). Inter hos potissimum, qui erant fratrum atque amicorum nomine ex longo temporis spatio cum populo Romano coniuncti atque prope fines Narbonensis sedebant, plurimi Romani constitisse videntur[4]). Praeterea societates eorum ex titulis statuimus apud Auscios[5]), Petrocorios[6]), Santones[7]), Helvetios[8]). Apud Auscios curator civium Romanorum erat libertinus quidam, qui idem »*doctor librarius*, *lusor latrunculorum*« nominatur. Sed apud Santones curatorem invenimus eum, qui erat natione Gallus, cuius patrem a Caesare aut ab Augusto civitatem accepisse ex nomine concluditur, quique summis honoribus in gente sua, quaestoris et vergobreti atque sacerdotali munere perfunctus erat. Itaque, praesertim cum nomen vergobreti brevi a Romanis nomine praetoris mutaretur[9]) atque C. Iulius Marinus »*primus curator civium Romanorum*«[10]) esset, horum conventum temporibus fere Augusti conditum esse apparet, unde docemur, quam celeriter provincia Aquitania constituta cives Romani usque in extremas imperii Romani partes ingressi sint[11]).

---

1) Caes. bell. gall. VII 3. 1; 38. 9. 2) ibid. VII 3. 1.

3) ibid. VII 38; 42; 55, 5; cf. Dio Cass. 40, 33.

4) Caes. bell. gall. VII 37. 3: »*Unam esse Haeduorum civitatem, quae certissimam Galliae victoriam detineat; eius auctoritate reliquos contineri, qua traducta locum consistendi Romanis in Gallia non fore.*«

5) Rev. épigr. du midi de la France I 20 (1882) n. 333 (app. n. 106).

6) ibid. I 3 (1878) n. 54. 55. 56 (app. n. 102—104).

7) ibid. II 54 (1889) n. 780 (app. n. 105).

8) Mommsen, inscr. Helv. 133 (app. n. 108); 122 (app. n. 109); Assoc. pro Avent. Bull. n. III (1890) p. 48—50 (app. n. 111); CIL XII 2618 (app. n. 110); cf. ibid. 2564 (app. n. 112).

9) Hirschfeld, Gall. Stud. (Sitz.-Ber. d. Wiener Ak. ph. Cl. 1883) III p. 309.

10) Solum ad tempus, non ad dignitatem maiorem viri adiectivum »*primus*« spectat.

11) cf. etiam Tac. Ann. III 42. 1—3.

In conventu Helvetico considerando paulum nobis subsistendum erit. Nam unus[1]) ex quattuor titulis, qui eum testantur, dedicatus est pro salute Augustorum, qua ex causa non prius, quam sub Marco Aurelio et L. Vero[2]), imperatoribus positum esse iam diximus. Sed apud Helvetios Flaviorum aetate, fortasse sub Vespasiano, cuius pater ibidem fenerator fuerat[3]), coloniam conditam esse ex nomine eius[4]) elucet. Quo ex nomine aliisque causis additis[5]) Mommsen non Aventicum, caput gentis, solum ab illo imperatore coloniae iure ornatum esse, sed totam Helvetiorum civitatem concludit. Quae si ita sint, difficile intellegi posse, quomodo conventus civium Romanorum ibi diutius permanserit. Itaque ut haec solvantur, demonstrare studet, quia Helvetius quidam inter equites singulares, quos solos ex hominibus latini iuris conscriptos esse praeclarissime exposuit[6]), stipendia fecerit, Helvetiis tunc non civitatem Romanam, sed tantum ius latinum datum esse[7]). Sed et totam Helvetiorum civitatem ad coloniae dignitatem provectam esse et coloniam latinam, non Romanam esse conditam nescio an negem argumentis Hirschfeldii comprobatis[8]).

---

1) Inscr. Helv. 133 (app. n. 108).

2) Primi illi una erant Augusti intra annos 161 et 169 cf. Morel l. l. p. 6 sq. Mommsen, Herm. XVI p. 477 adn. 4.

3) cf. Sueton v. Vespas. 1.

4) »*Colonia pia Flavia constans emerita Helvetiorum.*«

5) vide Herm. XVI p. 479—481. 6) ibid. p. 458—467.

7) ibid. p. 478, ubi vir doctissimus iudicat, »*war der helvetischen Colonie nur latinisches Recht verliehen, so ist alles in Ordnung*«.

8) Mommsen ex ea tantum ratione, qua urbem aliquam vel regionem in dilectu provinciali usam esse sub imperatoribus ex titulis militum eluceret, conclusit, quo illae iure fuissent (Herm. l. l. 458—477 atque ibid. XIX p. 60—79) atque sic ratiocinando multas colonias, quas Romanas fuisse aliis ex testimoniis adhuc iudicavimus, habuisse latinum tantum ius statuendum esse censuit. Contra ea autem, quae primo loco allata sunt, Hirschfeld (Gall. Stud. III digress.) pugnavit. Morel (Jahrbuch für Schweiz. Gesch. VIII p. 12—15) illud quidem a se probatum Helvetios fuisse latini iuris eo argumento confirmavit, quod tam pauca nomina vel tribu addita vel peregrina in titulis invenirentur. Sed tribus iam saeculo secundo exeunte non semper nominibus adscribebatur. cf. Kubitschek de Rom. tribuum orig. ac propag. p. 201.

Illud quoque respiciendum est, quod nova colonia etiam nomine coloniae Aventicensium significatur[1]) neque umquam coloni Helvetii, sed solum coloni Aventicenses commemorantur, quibus praefectos fuisse »*curatores colonorum*« tribus titulis[2]) allatos censeo. Adde, quod in illo longissimo nomine coloniae vocem »*emerita*« invenimus; unde nonne in promptu est a Vespasiano imperatore veteranos deductos esse Aventicum eosque colonos dici[3])? Utrum autem eorum curatores viri in colonia constituenda agrisque adsignandis occupati sint, an magistratus ii fuerint, sub quibus primo inter civitatis Helveticae incolas Aventicenses veterani constiterint, diiudicari non potest. Si autem alterum, quod mihi verisimillimum videtur[4]), verum est, hunc statum oppidi non diu permansisse testatur nomen »*coloniae Helvetiorum*«, quod Aventico datum esse opinor, cum indigenae ibi habitantes novique coloni in unam rempublicam coaluissent. Neque vero ex hoc nomine solo nescio an totam Helvetiam colonis Aventicum deductis iure adaequatam esse concludere liceat: immo ex illis peregrinis nominibus, quae duo Helvetii in duobus titulis[5]) Mogontiaci repertis habent, mihi apparet solum Aventicum coloniam Helvetiorum factum esse vicosque peregrini iuris sub suis vicanorum curatoribus coloniae attributos esse[6]). Atque in his peregrinis partibus Helvetiae perdurasse conventus c. R. mihi videtur, praecipue in iis regionibus,

---

1) Inscr. Helv. 149.

2) Inscr. Helv. 154. 155. 156.

3) Morel l. l. p. 21.

4) Duo curatores in annum unum electi occurrunt in titulo l. l. n. 155. Omnes autem tituli, qui huc spectant, a curatoribus colonorum positi sunt deae Aventiae, unus simul genio incolarum (Aventicensium), scilicet ut coloni patronos novi domicilii sibi propitios redderent.

5) Brambach CIRh 1227; 890.

6) Inscr. Helv. 142 duovir coloniae Helvetiorum commemoratur, »*quem ordo patronum civitatis cooptavit*«. Civitas est significatio totius Helvetiae, quam ob rem apparet eodem titulo hunc virum etiam vicanos Eburodunenses honorasse dedicatione »*amico et patrono*«. Aliter de his duobus formulis coloniae Helv. et civitatis in eodem titulo adhibitis Mommsen (Herm. XVI p. 456 adn. 1) iudicavit.

quae ad meridiem spectant, circa lacum Lemannum sitis. Neque enim casui soli tribuendum erit, quod tres tituli, in quibus conventus commemoratur, in illa regione reperti sunt atque curatorum duo simul cives coloniae Equestris Novioduni — unus duovir huius coloniae, alter curator vicanorum Lousonnensium[1]) — tertius civis Viennensis erant.

Sed priusquam e Gallia egredimur, breviter animos convertamus ad illum titulum Brigantione in Alpibus Cottiis repertum atque in codice Peirescii servatum[2]), quem in testimonia in appendice collecta recepimus, quamvis explanare eum quasi crucem interpretum non possimus Nam si recte Constantini imperatoris nomen suppletur, etiam huius aetate in abdita regione imperii conventum statui necesse est. Sed post constitutionem a Caracalla datam nullos conventus fuisse statim explicabimus. Hirschfeld, quem consului, quomodo hanc controversiam tolli posse opinetur, benignissime mecum communicavit sibi fieri posse nunc videri, ut lin. 1 supplendum sit »*imp. caes. Vespasia*]*ni* (vel alius imperatoris nomen in — nus exiens) *Aug.*«, quae verba secutum sit fortasse »*constan*[*ter*« vel aliquid eiusmodi, etsi difficultatem habeat, quod constitutio ad provinciam Alpium maritimarum spectare videatur, cui Brigantio a Diocletiano demum attributa sit (CIL V p. 810 et XII p. XIII).

Transeamus in Illyricum, ubi iam anno 574/180 cives Romanos sociosque nominis latini constitisse commemoravimus. In bello civili inter Caesarem atque Pompeium conventus Salonis[3]) atque Lissi[4]) fortiter illius partibus faventes contra adversarios vicos suos muniebant. Simili modo Narona tamquam vicus civium Romanorum in titulis occurrit[5]). Quanto vero numero negotiatores ac mercatores hanc terram occupaverint temporibus liberae reipublicae, ex multis lapidibus eius aetatis ibi

1) Nam hunc quoque civem Novioduni esse ex tribu Cornelia eius cognoscitur. cf. Herm. XVI p. 478 adn. 1.

2) CIL XII 94 (app. n. 100).

3) Caes. bell. civ. III 9; Hirtii bell. Alex. 43. 2.

4) Caes. bell. civ. III 29; 40.

5) CIL III 1820 (app. n. 113).

repertis[1]), quorum numerus maior est, quam in ulla alia extra Italiam provincia, elucet. Augustus denique, qui illic novam provinciam primo senatus, postea principis constituebat, haec oppida fere omnia iure urbis donata colonias aut municipia fecit[2]).

Praeterea oppidum civium Romanorum ex conventu negotiatorum ortum, ut exposui, erat Nauporti[3]), quod commercio floruit, quia ibi merces ex Aquileia urbe Italiae, per flumen Corcoram atque Savum in Danuvium transvehebantur[4]). Hoc autem oppidum ad municipii statum provectum non esse explicari potest inde, quod ab Augusto in bello cum Dalmatis a. 720/34 gesto Emona condebatur[5]). Accedit, quod Nauportum postea idem princeps cum Italia coniunxit, ut id oppidum, quod in provincia opulentissimum emporium fuerat, intra Italiae fines propter amplitudinem divitiasque Aquileiae mediocre quoddam forum esset, praesertim cum iam Augustus Emonae coloniae ius dedisset.

Ac ne regiones quidem trans Alpes sitae, quas Augustus principatu constituto per Tiberium Drusumque annis 738/16—740/14 in Romanorum potestatem redegerat, ita ut termini imperii usque ad Danuvium flumen promoverentur, civibus Romanis, qui in terram immigraverant, carebant. Nam titulus saeculi secundi p. Chr. n. exstat[6]) quo »*cives Romani ex Italia et aliis provinciis in R a e t i a consistentes*« T. Varium Clementem, qui omnibus fere honoribus equitum perfunctus erat, ornant. Illic autem civium Romanorum unum conventum ad totam provinciam, ut mihi quidem videtur, pertinuisse facile intellegitur cum ex eo, quod per vicos indigenarum illos dispersos habitasse supra significavimus, tum, quod imperatores, a quibus incolas ipsos

---

1) CIL III p. 291; n. 1784; 1785; 1820; 1821.

2) vide CIL III p. 304 et p. 291 cum titulo 1769. cf. etiam Cuntz De Augusto Plinii geographicor. auctore p. 20.

3) Tac. Ann. I 20 »*municipii instar*« cf. etiam CIL III p. 483.

4) Strabo IV 6. 10; VII 5. 2.

5) CIL III p. 488 sq.

6) CIL III n. 5212 (app. n. 116).

partim terra eiectos esse constat, ut magna multitudo advenarum uno in loco domicilia collocaret, ab initio non concedebant[1]).

Reliquum est, ut in eam provinciam, quae sub Claudio demum imperio addebatur, Britanniam ingrediamur. Atque ibi Londinium, quod hisce diebus est longe frequentissimum atque opulentissimum emporium totius orbis terrarum, esse ortum e conventu vel vico negotiatorum Romanorum Tacitus auctor est[2]). Qui conventus quantus fuerit, perspicitur, quod rebellione sub Nerone a. 61 p. Chr. n. facta a seditiosis octoginta milia civium Romanorum esse interfecta legimus[3]). Nam tantam multitudinem duas urbes civium Romanorum in insula, Camalodunum coloniam atque Verolamium municipium, solas incoluisse credi non potest. Sed non modo per Britanniam, sed etiam ultra fines huius provinciae usque ad portus Hiberniae mercatores venisse altero Taciti loco[4]) memoriae proditum est.

Iam vero, quoniam satis demonstrasse mihi videor usque ad extremos terminos imperii Romanos negotii gerentes penetrasse nullamque provinciam societatibus eorum vacavisse, restat, ut breviter attingam, quo tempore, quibusque ex causis societates eiusmodi exitum habuerint.

Atque in eo quidem, quomodo adoleverint, iam aliquantum interfuisse inter provincias imperii pro habitatione incolarum, cum terrae a Romanis occuparentur, a nobis explicatum est. Eandem ob causam alio modo societates Orientis, alio Occidentis desinebant. Nam in hac parte imperii, ubi conventus per pagos vicosque indigenarum constituti brevi vici vel quasi oppida civium Romanorum fiebant, diversis temporibus, simulatque haec iure coloniae donata erant, congregationum illarum erat finis. In Oriente autem, vel ubicumque societates Romanorum tamquam alteras respublicas in urbibus peregrinis effecerant, Caracallae edicto, quo omnibus ingenuis hominibus imperii civitatem Romanam dedit, conventus civium Romanorum sublati sint necesse est. Neque enim ullum ius praecipuum ullaque privilegia, quapropter

---

1) Mommsen RG V p. 179.
2) Tac. Ann. XIV 33. 3.
3) Xiphilini ep. Dion. Cass. 62. 1.
4) Tac. Agricol. 24. 8—10.

societates, quas tractavimus, natae erant, ab illa aetate iis erant, qui ubique usque eo suam rempublicam in republica habuerant[1]). Tum vero Syri, qui tamquam nati ad commercium iam antiquissimis temporibus liberae reipublicae per Italiam totumque Occidentem mercaturas fecisse videntur[2]), sed ipsi quoque a Romanis negotii gerentibus, qui tot tamque variis commodis, quocumque in loco imperii constiterant, adiuvabantur, paulatim superati erant, magis[3]) magisque, primo in mercibus ex Oriente exportandis, tum etiam in iis negotiis, quae Romani maxime sua sola vindicare soliti erant, i. e. in fenerando principatum, ut ita dicam, iterum adipiscebantur. A tertio enim saeculo exeunte illaque potissimum aetate, qua barbari in fines imperii undique irrumpebant, omnes per urbes locosque totius Occidentis, ut olim Romani in universo imperio, negotiandi causa dispersi[4]) etiam in perturbatio-

---

1) Quam aliter postea societates negotiatorum compositae sint, elucet ex lapide Dacico, qui ad Sarmizegetusam pertinet, ubi negotiatores provinciae Apulensis inter se coniuncti videntur. CIL III 1500 »*Crasso Macrobio negotiatores provinciae Apul(ensis) defensori optimo*«. Titulum enim hunc post Caracallam, fortasse non multo antequam Romani Daciam reliquerunt, scriptum esse duabus ex rebus ostendi potest. Nam primum defensores collegiorum inveniuntur non ante Severum Alexandrum (cf. Liebenam, Röm. Vereinsw. p. 49); deinde quod in nomine defensoris illius et praenomen et nomen gentile desiderantur, titulus posteriori aetati tribuendus est, id quod ipso cognomine Macrobii confirmatur. cf. etiam »*negotiatores c(ivitatis) M(attiacorum)*«, qui sibi »*scholam d(e) s(uo) fecerunt*« in titulo anni 212 p. Chr. Korresp.-Bl. d. Westd. Zeitschr. IX p. 186).

2) Tyrii iam participes foederis Carthaginiensium cum Romanis 406/348 icti erant (Polyb. III 24). Temporibus liberae reipublicae nullo alio in loco nisi in Delo insula collegia mercatorum a Syris constituta (CIGr 2271; Bull. d. c. Hell. III p. 374; VII p. 468; VI 495) cognovimus, postea sub imperatoribus etiam Puteolis (CIGr 5853 a. 174 p. Chr. n.; CIL X p. 1601; ib. n. 1634, a. 116 p. Chr. n.; cf. etiam n. 1578. 1579). Ostiae (CIGr 5892), Malacae in Hispania (CIL II p. 251 = Kaibel inscr. gr. Sic. et Italiae 2540).

3) cf. Iuvenal. Sat. I 1. 103—106.

4) Scheffer-Boichorst, Die Syrer im Abendlande. Mitteil. d. Instit. f. österr. Gesch.-Forsch. VI (1885) p. 521—550; Friedländer, Sittengesch. II⁶ p. 78 sq.; His temporibus nomen Syrorum adhibebatur pro

nibus horum temporum, quaestui faciendo dediti erant[1]. Sic eos, quibus natura, ut his rebus inter omnes fere populos orbis terrarum plurimum valerent, tribuerat, Romanorum negotiatorum atque mercatorum hereditatem omnibus partibus adiisse manifestum est.

IV.

Sequitur, quod ultimum tractandum nobis proposuimus, ut videamus, qua ratione congregationes civium Romanorum ad castra stativa imperatorum temporibus consistentium cum conventibus cohaereant quibusque modis compositae atque administratae fuerint.

Atque mihi primum quid de his Mommsen[2] atque Morel[3] iudicaverint, quibusque de rebus controversiae sint inter hos, breviter quae gravissima sunt, exponere opus est.

Mommsen illas ad castra stativa societates, quae non apud scriptores, sed in titulis vulgo »*canabae*«[4], nominantur, primas eodem modo constitutas esse, quo civium Romanorum conventus, perspexit. Sed primo saeculo p. Chr. n. iis praefuisse curatores veteranorum, qui fortasse rectius ac plenius appellandi essent

---

feneratoribus apud scriptores, sicut olim nomina civium Romanorum et negotiatorum promiscue usurpata erant. cf. Sid. Apoll. I ep. 8 ed. Luetjohann p. 13 et Salvianus de gub. dei IV 14. 69 (Scheffer-Boichorst l. l. p. 531).

[1]) Hieronym. in Ezechiel. XXVII 27 V p. 513 ed. Vallarsi.

[2]) in dissertatione ea, quam p. 10 adn. 1 commemoravimus.

[3]) Morel in appendice (p. 44—50) quaestionis suae de conventibus civium Romanorum ea, de quibus cum Mommseno non consentit, collegit.

[4]) De hac voce vide, quae Mommsen l. l. p. 303—305 disseruit. cf. J. Jung, Römer u. Romanen in den Donauländern p. 75 sq.: Hübner Jahrb. des Vereins von Altertumsfr. im Rheinl. LXIV p. 39 adn. 2 Bergk, Westdeutsche Zeitschr. I (1882) p. 506 adn. 1.

»curatores veteranorum et civium Romanorum«, tumque more militari coniunctos fuisse, secundo saeculo duos magistros, qua ex re eluceret societates eiusmodi in vicos a magistratibus civilibus rectos conversas esse statuit[1]). Haec autem Morelio non probantur, quod curatores civium Romanorum Mogontiaci secundo quoque saeculo p. Chr. n. nobis occurrant ceterique tituli a viro doctissimo ad illud primum demonstrandum allati ad societates civium Romanorum earumque curatores non pertineant. Neque enim ex veteranorum collegiis, sed ex mercatoribus ad castra consistentibus, qui primi se coniunxerint, illas societates vel canabas natas esse censet[2]).

Itaque de his potissimum rebus, de quibus inter viros doctissimos minime convenit, a quibus initiis vici castrenses profecti sint, quantum numero atque auctoritate veterani in iis valuerint, eorumque curatores utrum iidem fuerint, ac curatores civium Romanorum ad legiones consistentium, necne, mihi verba facienda esse existimo.

Atque antiquissimae huiusmodi societates in Germaniis conditae esse videntur earumque prima fortasse Mogontiaci. Ex iis enim titulis, in quibus haec societas comparet, duo iam primo saeculo p. Chr. n. scripti sunt: is, qui nuper Mogontiaci prodiit[3]), quem anno 43 *»cives Romani manticulari negotia-*

1) l. l. p. 316.

2) Contra Mommsenum Th. Bergk (Die Verfassung von Mainz in römischer Zeit: Westd. Zeitschr. l. l. p. 499—515), qui Morelii commentationem non inspexisse videtur, etsi canabas ex veteranorum collegiis esse natas cum Mommseno demonstrare conatus est, tamen ipse quoque ceteris in rebus, quae ad principia, incrementa, exitus harum societatum pertinent, diversissimas sententias protulit. Cum Morelio id quod Mommsen de canabis a curatoribus atque magistris rectis statuit, suo iure improbat (p. 508). Ceterum multa in eius dissertatione, imprimis illud, quod municipia vel colonias ad castra stativa non e civium Romanorum societatibus sed ex indigenarum vicis orta esse contendit (p. 502—504), valde claudicant, quia canabas eodem fere modo atque ceteras civium Romanorum in imperio congregationes crevisse neglexit.

3) cf. J. Becker: Zur Urgeschichte von Mainz, Castel u. Heddernheim: Jahrbücher d. Vereins v. Altertumsfr. im Rheinl. 67 (1879) p. 4 (app. n. 117).

tores« Claudio imperatori dedicabant, alter, quem veteranus quidam leg. XVI, qui simul »*curator civium Romanorum Mogontiaci*« nominatur, posuit[1]). Ex priore igitur titulo hanc societatem ex negotiatoribus Romanis solis constitisse luce clarius est, quamvis in medio relinquamus, quid vox illa, quae est »*manticulari*«, sibi velit[2]). Eam autem ob rem, quod curator alterius tituli veteranus erat, Mommsen iudicavit curatores civium Romanorum Mogontiaci fuisse eosdem ac curatores veteranorum, qualem fortasse unum in altero lapide Mogontiacensi[3]) statui posse censet, atque quos apud alias legiones sine dubio fuisse demonstrat, velut apud leg. XIV Gem.[4]), leg. V . . . . .[5]), leg. XI Claudiam p. f.[6]), leg. IV Mac.[7]) Sed, etsi nobis quoque veteranos illarum legionum inter se consociatos fuisse sub curatoribus concedendum esse videtur, tamen Mogontiaci curatorem veteranorum eundem fuisse ac curatorem civium Romanorum ad eandem legionem habitantium, ut huic nomen plenum curatoris veteranorum et civium Romanorum fuerit, nullo modo comprobamus. Quae ut argumentis confirmemus, breviter, quae fuerint veteranorum collegia, consideremus. Neque enim illud negle-

---

1) CIL V n. 5747 (app. n. 118). Hic est titulus primi saeculi, quia leg. XVI non diutius, quam usque ad Vespasiani aetatem, a quo dimittebatur, Mogontiaci (fere ad annum 43 p. Chr.) tum in Germania inferiore, erat collocata.

2) Mommsen, quia secundum Festi locum (ed. Müller p. 133) manticula fuisse sacculus, in quo pecunia portabatur, ei videtur, manticularios fuisse omnes, qui mercaturam tenuem fecissent, quibus oppositi essent negotiatores magnarii, iudicat. Quam ob rem in illo titulo hac voce eosdem mercatores, lixas, caupones significari, qui ceteris in titulis Canabenses appellentur (Korrespondenzbl. der Westdeutschen Zeitschr. III (1884) n. 1 et 2 p. 31).

3) Brambach CIRh n. 1049 (cf. n. 984): »*Fortunae Aug(ustae) sac(rum) Nemonius Senecio C. V. et T. Tertius Felix q(uaestor) et Catius Verecundus act(or) d. s. p.*« Illud *C. V.* solvendum esse *c(urator) v(eteranorum)* vir doctissimus opinatur (l. l. p. 317). Alii aliud proponunt: Klein CV(rator); Becker curator viarum: Bergk curator vici cf. Bergk l. l. p. 511 adn. 2.

4) CIRh 717. 5) CIL V 5832.

6) ibid. 3375. 7) ibid. 7005.

gendum est eos titulos, qui veteranorum curatores praebent, omnes positos esse primis temporibus principatus[1]), qua aetate veteranos multos per annos in castris, quia imperatoribus aut pecuniae ad stipendia solvenda, aut agri, quo deducerentur illi, deerant, atque, id quod postea factum est, ut prope castra ipsa domicilia acciperent, non erat mos[2]), sub vexillo retentos esse non ignoramus[3]). Horum igitur corpora saepius »*vexilla veteranorum*« nominantur singulique »*vexillarii*«[4]). Quibus praefuisse illos curatores veteranorum, nonnumquam una cum quaestoribus et actoribus, in promptu mihi esse videtur. Vexilla autem veteranorum more militari esse constituta elucet inde, quod apud eorum curatores, quot stipendia meruerint, numeratur[5]), atque etiam centuriones illa habuisse videntur[6]). Quam ob rem haec cum curatoribus veteranorum in castris fuisse opinamur, dum cives Romani, qui negotiandi causa convenerant, ad castra consistebant sub suis curatoribus[7]). Nihil autem interfuisse inter

---

1) P. Tutilius curator veteranorum tituli CIL V 5832 natus est a. 711/43 a. Chr., mortuus a. 782/29 p. Chr. Tit. CIL V n. 7005 temporibus ante Vespasianum positus est, quia ab hoc imperatore leg. IV Mac., cuius veteranorum curator in titulo nominatur, dissolvebatur. In titulo CIRh 717 Baudobrigae (Boppard) reperto curator veteranorum commemoratur, qui, postquam iterum evocatus est, princeps II leg. XIV Gem. erat, quae usque ad annum fere 92 p. Chr. (Pfitzner, Röm. Kaiserleg. p. 259) in Germania superiore collocata erat. CIL V 3375, etsi tempus subtilius definiri non potest, certe primi saeculi est.

2) vide Mommsenum ipsum l. l. p. 315 et Marquardtium StV II p. 463 et 466.

3) Tac. Ann. I 17; 36; Marquardt l. l. II p. 543.

4) Vell. Pat. II 110; CIL V 4903.

5) CIRh 717.

6) CIL III 2817; cf. quod Mommsen l. l. p. 315 adnotat. Hi quoque tituli, in quibus vexillarius et centurio veteranorum dicuntur (CIL V 4903 et III 2817) primis temporibus principatus positi sunt, quia de veteranis leg. IV Mac. agitur. Marquardt l. l. II p. 466 adn. 12.

7) Accurate distinguuntur vexillarii veterani ac cives Romani negotiatores illo loco Velleiano, quem citavimus, ubi de Pannoniorum seditione agitur (II 110): »*Oppressi cives Romani, trucidati negotiatores, magnus vexillariorum numerus ad internecionem ea in regione ..... caesus.*«

hos conventus primos ad castra iam ineunte principatu constitutos atque illos omnes, de quibus in prioribus partibus quaesivimus, nostra sententia est.

Iam vero veteranos, cum, ut prope castra domicilia collocarent, mos fieret exitu primi saeculi p. Chr.[1]), in societates civium Romanorum, qui extra castrorum muros iam habitabant, assumptos esse, quis est, cui mirum videatur? Ac illius quidem aetatis esse alterum titulum, a quo profecti sumus, manifestum est. Celerius autem, quam civium, numerus veteranorum augebatur, ut brevi illos multitudine superarent cum in ceteris, tum in illis potissimum castris ad Danuvium sub Flaviis imperatoribus aut sub Traiano positis, ubi cives non tam frequentes consistebant, quam in locis ad Rhenum sitis. Nam hic finitima erat Gallia Belgica, provincia Romana, quo per quinquaginta fere annos iam mercatores Romani commeabant, undeque iam exeunte primo saeculo a. Chr. n. in Germaniam saepe cum mercibus suis veniebant[2]). In his igitur regionibus, ubi iam pridem commercium Romanorum florebat, primi conventus ad castra stativa condebantur »*longa pace*«[3]) primi saeculi a. Chr. a mercatoribus lixisque. Ibidem autem horum numerus semper maior fuisse neque unquam veterani primum locum auctoritate tenuisse videntur[4]), ut in ceteris finibus imperii, ubi, quia plurimae congregationes ibi constituebantur eo tempore, cum veterani extra castra domicilia iam collocare solebant, et numero et auctoritate brevi cives, ut paulo antea dictum est, superabant[5]).

---

1) Tac. Ann. XIV 27.

2) Dio Cass. 53. 26 (Vell. Pat. II 104); 54. 20.

3) Tac. Hist. IV 22.

4) Mogontiacensis societas usque ad tertium saeculum in titulis nominatur »*cives Romani Mogontiaci*« veteranis non adiectis, veteranusque singulus dicitur »*adlectus in ordinem civium Romanorum Mogontiaci*« CIRh 1067 (app. n. 120).

5) Ibi haec formula maxime usitata est: »*veterani et cives Romani consistentes* cet.« quam formulam recte explicavit Mommsen l. l. p. 314 sq.

Ex his, quae attulimus, elucet id, quod Mommsen iudicavit, societatibus civium Romanorum ad castra partim curatores, partim magistros praefuisse, e quibus illi quasi praefecti militares hos civiles antecesserint, esse reiciendum. Nam re vera haec ita se habent, ut iam Morel et Bergk significaverunt, ut Mogontiaci ibique per tria saecula curatores praepositi fuerint, in ceteris omnibus societatibus, quas quidem penitus cognoverimus, magistri. Fortasse huius rei causa erat haec. Mogontiaci, cum Romani castra stativa collocaverunt, iam vicus indigenarum exstabat, a Celtis, ut nomen loci testari videtur, olim conditus, tum a Vangionibus, gente germanica, occupatus[1], sicut idem certe constat de plurimis castris stativis[2]. Sed valde obscurum adhuc est, quae ratio intercesserit inter cives Romanos ad legiones eiusmodi locis consistentes et indigenarum vicos, utrum cives Romani prope an intra hos domicilia vel canabas collocaverint, utrum sibi solis magistratus creaverint an indigenarum vicum simul ipsi quoque administraverint. Nisi omnia fallunt, opinari nobis licebit iis locis, ubi magistros duos reperimus, rem eodem modo se habuisse atque in congregationibus in interioribus partibus imperii[3]: cives Romanos mox aut numero aut auctoritate propter melius ius homines peregrinos superasse, ipsos administrationem totius vici occupasse eoque modo vicos vel quasi oppida civium Romanorum sub duobus magistris esse orta. Mogontiaci autem vicani indigenae permagno numero fuisse videntur, qui semper suos magistratus retinuerunt, ut congregatio civium Romanorum Mogontiaci, sicut in urbibus Orientis, intra peregrinorum vicum sub suo curatore esset[4]. Quae comprobantur ea re, quod in titulo fortasse saeculi secundi p. Chr. »*vicani Mogontiacenses*« com-

---

1) cf. J. Becker l. l. p. 1 sq.; Bergk p. 501.

2) de Carnunto vide Vell. II 109; Plin. H. N. 37. 3. 45 cf. CIL III p. 550; Archäol.-epigr. Mitt. X p. 14; infra p. 94 adn. 6. de Troesmi vide Ovid Pont. IV 9. 79 cf. CIL III p. 145 et 999. Brigetionis nomine idem demonstratur.

3) vide supra p. 30 sq.

4) cf. Bergk l. l. p. 513.

memorantur[1]), qui quattuor vel quinque vicos, qui nominantur *vetus Mogontiacum*[2]), *vicus Novus*[3]), *vicus Salutaris*[4]), *vicus Vobergensis* (?)[5]), *vicus Apollinesis*[6]), incolebant. Hos vicos ab indigenis esse administratos cum Bergkio arbitror, quia quattuor »*platiodanni*« vici Novi in titulo[7]) occurrunt, magistratus, qui hoc loco solo inveniuntur[8]). Inter indigenas autem societatem quoque civium Romanorum hoc loco tam opportuno ad castra maxima Germaniae consistentium multitudine ac divitiis celerrime auctam esse, elucet inde, quod primo curator solus, ut omnibus, quas perlustravimus, ei praeerat, secundo saeculo quaestor[9]) illi adiunctus est, postremo ordo decurionum[10]), de quo iam egimus, quoad denique exeunte tertio saeculo a Diocletiano, si Mommsen recte opinatur, societas haec iure urbis donata est.

Ceteras autem congregationes ad castra omnes vicorum modo ordinatas fuisse et ex significationibus earum et inde, quod magistros iis praefuisse docemur, apparere videtur. Atque huiusmodi vicos castrenses cognovimus:

---

1) Hübner: Der Ursprung von Mainz, Jahrbb. des Vereins von Altertumsfr. im Rheinl. LXIV p. 42; Becker l. l. p. 8 et adn. 1; Bergk l. l. p. 510; verbis illis »*vicani Mogontiacenses*« Mogontiacum vicum fuisse demonstrari Bergkio assentior cf. l. l. adn. 1.

2) cf. Becker p. 5 sq.

3) ibid. p. 7—9.

4) ib. p. 10 in titulo medii saeculi secundi.

5) ib. in tit. anni 199 p. Chr.; sed cf. Hübner l. l. p. 43 sq.

6) ib. in tit. a. 220 p. Chr.

7) Becker, Inschriften von Mainz n. 93.

8) cf. Becker p. 8; Bergk p. 512. Sicut Mogontiaci vicani Mogontiacenses, ita Aquis quoque »*vikani Aquenses*« in titulo inscr. Helv. 241 comparent, qui utrum cives Romani fuerint, qui administrationem totius vici gesserint ipsique vicani facti sint, ut Nauporti hoc statuendum esse putavimus (vide supra p. 32) an indigenae, inter quos cives Romani consociati constiterint (cf. inscr. Helv. n. 261) adhuc disceptari non potest.

9) CIRh 956 (app. n. 119) a. 198 p. Chr. L. Senilius Decimanus primo quaestor, tum curator civium Romanorum erat.

10) Decuriones huius conventus duos cognovimus. cf. CIRh 1067 (app. n. 120) et 1130 (app. n. 121). Utrumque titulum tertio saeculo positum esse supra iam diximus.

In Germaniis. I. ad castra Vetera[1]). II. Argentorati. III. Aquis Helveticis ad Vindonissam[2]).

---

[1]) Ad castra Vetera atque Aquis cives Romanos vici modo coniunctos fuisse, concludo ex Taciti verbis (Hist. 4. 22 et 1. 67), quae similia sunt iis, quibus vicus civium Romanorum Nauporti in annalibus significatur. Sed et hos vicos et alios, quos collegi, primo societates tantum fuisse easque brevi ad vicorum similitudinem provectas esse, ut permultos vicos civium Romanorum in Occidente iudicavi ex conventibus exstitisse, minime nego.

[2]) Aquas inter vicos castrenses recepi, quamquam Mommsen hoc abnuit. Nam id, quod vir doctissimus iudicat, Aquas nihil aliud fuisse, nisi vicum pagi Helvetici, vel illa ratione, qua Tacitus l. l. ad eum locum significandum utitur, praeclare refutatur. Mommsen autem ad illam sententiam adductus est, quod Aquae, quae milia fere quinque passuum a Vindonissa, ubi castra leg. XXI Rap., postea leg. XI Claud. p. f. erant usque fere ad Traiani aetatem (Pfitzner l. l. p. 133—135), abessent, canabae illorum castrorum fuisse non possent. Concedendum est vicos castrenses mille fere passus a castris ipsis abfuisse, ut coloniam Traianam, quae ex vico eiusmodi facta est, a castris Veteribus (Itin. Anton. p. 370), aut Lambaesitanum vicum a castris leg. III Aug. (Wilmanns, Die römische Lagerst. Africas in Comm. in hon. Th. Momms. p. 192 et adn. 10) aut nonnumquam etiam propius inprimis ad castella parva, quae extremis in finibus fere in hostium agris collocata erant, velut Phasi (Arriani peripl. pont. Eux. 9. 12) vel in castello in monte Tauno, quod hodie Saalburg vocatur (cf. Rossel, Die röm. Grenzwehr im Taunus; Hübner, Jahrbb. des Vereins von Altertumsfr. im Rheinl. LXIII p. 36; v. Cohausen, Der röm. Grenzwall in Deutschl. p. 115 et tab. XIV; Bergk l. l. p. 505 adn. 2). Sed in Africa praeter Lambaesim alter vicus civium Romanorum paulo longius a castris iisdem situs erat: i. e. Verecunda. Quaeritur igitur, utrum ibi duos vicos castrenses statuamus, an Verecundam conditam esse a civibus Romanis, quos praesidium illud, quod legionis castra terminis dederunt, ad collocandas sedes agrosque colendos alliciebat, censeamus. Qua ratione haec facilius explicari posse videntur, praesertim cum illud nomen possessorum vici Verecundensis, quo primi incolae sub Pio nominantur, respiciamus. Neque vero aliter vicum civium Romanorum Aquis ortum esse iudico, quamquam hic minus fertilitas agrorum, quam usus salubrium aquarum Romanos invitavit.

Itaque haec duo loca non inter vicos castrenses ipsos, quorum incolae res militibus castrorum necessarias solas praebebant, numerabimus. Quia autem eodem modo a civibus Romanis sub praesidio

In Pannoniis. IV. Carnunti[1]). V. Brigetione. VI. Aquinci. VII. Vetussalinis[2]). VIII. eo loco, ubi hodie exstat oppidum Stuhlweifsenburg[3]).

In Moesia inferiore. IX. Durostori. X. Troesmi.

In Dacia. XI. Apuli.

In Britannia. XII. Iscae[4]) (?).

In Hispania. XIII. Asturicae[5]).

In Numidia. XIV. Lambaesi. XV. Verecundae[6]).

In Cappadocia. XVI. Melitenae[7]).

---

legionum constituta a castris non longe aberant, illis adscripsi. Vide etiam huius pag. adn. 2 et 3.

1) Neque Carnunti canabas testimonium habemus, quo declaratur vici modo esse constitutas neque Durostori. Sed nemini dubium videbitur, quin, quae in omnibus locis ad Danuvium sitis, ibi quoque eadem administratio fuerit.

2) Hic cives Romani aut ad castra cohortis III Batavorum (cf. CIL III 3760 a) sicut canabenses ad castra legionum, aut propter mercaturam inde cum Sarmatis faciendam consederant.

3) Hoc loco vicum fuisse constat »*non solum satis celebrem, sed etiam templa habentem complura insignia*«, ubi sacrorum Pannoniae inferioris primaria sedes erat (CIL III p. 432; Ephem. epigr. II p. 365). Canabenses igitur, qui titulo Ephem. epigr. IV n. 425 (app. n. 129) nominantur, ad vicanos hos referendos esse puto. Nam canabae Aquinci intelligi non possunt, quia ibi sub Pio iam colonia exstabat. In illo vico aut aliquamdiu milites Romani constiterant et post deductos eos loco nomen Canabarum remanserat, ut in comm. tituli recte conicitur, aut mercatores Romani ad illa templa domiciliis in canabis collocatis vici administrationem susceperant ipsique canabenses se nominaverant.

4) CIL VII. 105; vide Mommsenum l. l p. 308 n. 19 et adn. 2; *veter*[*ani*] *et ho*[*mines(?) vel ho*[*spites(?) ad*] *leg. II A*[*ug(ustam) cons(istentes)*]. Sed dubium est, itane titulus mutilatus recte suppletus sit. Bergk (l. l. p. 508 adn. 1) parum probabiliter proponit *veter*[*ani*] *et ho*[*nesta m(issione) m(issi)*].

5) Asturicam iam Mommsen in eiusmodi vicorum numero habuit idque causis gravissimis confirmavit (p. 309 n. 20 c. adn. 1); sed tamen in hoc quoque loco dubium erit, utrum castrensis vicus ipse fuerit, an tantum sub tutela legionis conditus.

6) cf. pag. 87 adn. 2.

7) Melitenae ad castra legionis XII fulm. a Vespasiano collocatae fuisse vicus civium Romanorum mihi videtur secundum Procop. de aedif. III

In Ponto. XVII. Phasi ad Caucasum[1]).

Atque in hoc quidem genere societatum inveniuntur variae significationes: persaepe »*canabae*« (»*kanabae*«): Durostorum (canabae Aeliae)[2]), Troesmis[3]), Apulum[4]);

aut »*vicus canabarum*«: Argentoratum[5]);

aut »*vicus*«: Lambaesis[6]), Verecunda[7]) (vicus Augustorum);

aut »*respublica*«: Asturica[8]), (Ast. Augusta), Lambaesis[9]), Verecunda[10]);

de quibus nominibus Mommsen[11]) iam plene disseruit. Omnibus commune est, quod non urbes ipsae, sed »*loci in*

4, ubi locus ad castra commemoratur, qui a Traiano urbis iure donatus est (*μετὰ δὲ Τραϊανῷ τῷ Ῥωμαίων αὐτοκράτορι δεδογμένον ἐς πόλεώς τε ἀξίωμα ὁ χῶρος ἀφῖκται καὶ μητρόπολις κατέστη τῷ ἔθνει*).

1) Arrian. peripl. Pont. Eux. c. 9. 12 *ὅσα ἔξω τοῦ φρουρίου κατῴκεῖτο ὑπό τε τῶν πεπαυμένων τῆς στρατιᾶς καί τινων καὶ ἄλλων ἐμπορικῶν ἀνθρώπων ..... τὰς ἔξω τοῦ τείχους οἰκίας.* Hoc quoque loco ut Vetussalinis veterani ac mercatores non ad castra legionis cuiusdam, sed ad castellum quadringentorum militum electorum (*φρούριον, ἵναπερ κάθηνται τετρακόσιοι σπρατιῶται ἐπίλεκτοι*) consistebant; qua ex re omnia castella parva pariter ac castra stativa legionum canabas suas habuisse opinor (cf. J. Jung, Sybels histor. Zeitschr. N. F. 31. p. 28 sq.). Phasi Arrianus a fossa duplici murum castelli cingente alteram usque ad flumen Phasim deduxit, quae et portum et aedificia canabensium extra murum habitantium complexa est. Unde elucet quam non tuta iam tum haec statio extremis in finibus imperii ad Caucasum sita posteaque a Romanis relicta (cf. Procop. bell. Goth. IV. 2 p. 466) fuerit.

2) CIL III Suppl. 7474 (app. n. 131).

3) CIL III 6166 (app. n. 132).

4) CIL III 1008 (app. n. 140); ib. p. 940 sq. (app. n. 142); ib. p. 959 n. 126 (app. n. 143); ib. n. 1214 (app. n. 146).

5) CIRh 1891 (app. n. 122).

6) CIL VIII 2604 (app. n. 149); ib. 2605 (app. n. 150).

7) ib. 4199 (app. n. 157), 4194 (app. n. 158), 4205 (app. n. 159).

8) CIL II 2636 (app. n. 148).

9) CIL VIII 2695 (app. n. 151), 2592 (app. n. 152), 2594 (app. n. 153) 2617 (app. n. 154); Ephem. epigr. VII p. 118 n. 382 (app. n. 155).

10) CIL VIII 4194 (app. n. 158); Ephem. epigr. V p. 413 n. 785 (app. n. 160) CIL VIII 4206 (app. n. 161), 4210 (app. n. 162), 4218 (app. n. 163).

11) l. l. p. 311 sq.

modum municipii extructi«, ut Taciti[1]) verbis utar, sine iure municipii iis indicantur. Idem comprobatur ea ratione, qua cives harum congregationum appellantur:

aut »*cives Romani consistentes*«[2]) vel »*veterani et cives Romani consistentes*«[3]) nomine legionis vel loci addito,

aut »*canabenses* (*kanabenses*«)[4]),

aut »*vicani canabenses*«: Argentorati[5]).

aut »*vicani*«: Aquis (?)[6]),

aut »*possessores vici*«: Verecundae[7]),

aut »*incolae vici*«: ib.[8]);

unde quoque elucet cives Romanos in vicis castrensibus originem habere non potuisse, sed ibi solum domicilium collocasse. — Iam vero eiusmodi vicos a duobus magistris rectos esse, sicut omnes conventus in certo loco Occidentis constitutos, supra significavimus. Magistros autem reperimus Aquinci[9]), Troesmi[10]), Asturicae[11]), fortasse Apuli[12]). Praeter hos Troesmi aedilis ex civibus sumptus[13]), Apuli aedis custos[14]) occurrit. Non inveniuntur quaestores, quos Naronae fuisse accepimus. Sed in omnibus fere vicis castrensibus ordo decurionum fuisse videtur: Brigetione[15]). Troesmi[16]), Apuli[17]), Lambaesi[18]),

---

1) Tac. Hist. I 67.

2) CIL III Suppl. 7474 (app. n. 131); ibid. 6167 (app. n. 134).

3) CIL III 3505 (app. n. 128); ib. 6166 (app. n. 132).

4) Ephem. epigr. IV n. 425 (app. n. 129); CIL III 6166 (app. n. 132); ib. Suppl. 7597 (app. n. 135); CIL III 1008 (app. n. 140); ib. 1100 (app. n. 141); ib. 1093 (app. n. 144).

5) CIRh 1891 (app. n. 122).

6) Inscr. Helv. 241 vide supra p. 86 adn. 8.

7) CIL VIII 4199 (app. n. 157).

8) CIL VIII 4249.

9) CIL III 3505 (app. n. 128).

10) CIL III 6166 (app. n. 132); ib. 6162 (app. n. 133). Semper unus ex duobus magistris, quorum nomina tradita sunt, veteranus est, alter civis. vide quae in app. p. 112 adnotavi.

11) CIL II 2636 (app. n. 148).

12) CIL III 1008 (app. n. 140).

13) CIL III 6166 (app. n. 132); 6162 (app. n. 133).

14) ib. 1158 (app. n. 145).

15) ib. 4298 (app. n. 125); 4309 (app. n. 126); 4355 (app. n. 127).

16) ib. 774 = 6182 (app. n. 136); 6183 (app. n. 137), 6195 (app. n. 138).

17) ib. 1100 (app. n. 141); 1093 (app. n. 144); 1214 (app. n. 146).

18) CIL VIII 2592 (app. n. 152); 2594 (app. n. 153); 2617 (app. n. 154); 2695 (app. n. 151); 2740 (app. n. 156).

Verecundae[1]) titulis traditur. Quantum vero hi vici Africani ad similitudinem urbium ipsarum pervenerint, multis ex rebus intellegitur. Iam vici utriusque populus per curias divisus erat[2]), permulta templa aedificiaque publica, praecipue Lambaesi per leg. III Aug., erant exstructa[3]), in utroque vico aquaeductus[4]), Verecundae ab Antonino Pio aedificatus, exstabat, Lambaesi balineum sub Hadriano perfectum[5]) multaque alia. Flamines perpetui, ut in municipiis et coloniis Africanis, eligebantur[6]), Verecundae patroni vici[7]) occurrunt, princeps rei publicae[8]) sicut in municipiis ipsis. Quasi municipia igitur hi vici sine nomine municipiorum erant, quam ob rem brevi vicorum nomen deposuisse atque res publicas se appellasse videntur. Sed, quod valde mirum est, in tantis vicis castrensibus, quamquam persaepe ipsi aut eorum flamines aut decuriones aut patroni commemorantur, tamen numquam ullum in tot titulis magistratum, antequam municipia facta sunt[9]), cognovimus. Casuine hoc tribuemus, cui in rebus epigraphicis plus, quam ceteris in rebus conceden-

---

1) Ordo Verecundensium: CIL VIII 4192 (app. n. 164); 4187; 4196; 4197, 4243. Decuriones: ib. 4205 (app. n. 159): 4202; 4190; 4209; 4212; 4213; 4215; 4216; 4228; 4229; 4230; 4232.

2) Wilmanns l. l. p. 198 novem curias rei publicae Lambaesitanae collegit. Decimam »*Hadrianam*« nominatam fuisse vir doctissimus coniectura invenerat. Qui quam recte coniecisset, titulis postea repertis demonstratum est (Ephem. epigr. V p. 405 n. 757; VII p. 118 n. 381). Curiae vici Verecundensis commemorantur CIL VIII n. 4202 (a. 213 p. Chr. n.).

3) Wilmanns l. l. p. 194—197.

4) CIL VIII 2657; 4205 (app. n. 159).

5) CIL VIII 2692 (cf. etiam 2706).

6) vide Wilmannsium l. l. p. 199; de Verecunda cf. CIL VIII 4194 (app. n. 158); 4196; 4197.

7) Patroni erant plerumque legati leg. III Aug.: CIL VIII 4232 (a. 163/4); 4209 (a. 172); 4230 (a. 188). In titulo autem 4252 nominatur eodem honore praeditus sacerdotalis prov. Africae.

8) CIL VIII n. 4249.

9) CIL VIII n. 2776 »*primus duumvir municipii Lamb(a)esis*« nominatur et in titulo n. 4219 aedilis Verecundae sub Valeriano atque Gallieno, de quo vide infra p. 96 et adn. 4.

dum est? Equidem non puto, quia ceteroquin de iis locis melius, quam de omnibus aliis usquam canabis docemur titulis, quippe qui in illis regionibus Libyae desertis, quae a posterioribus gentibus tam raro occupatae minusque dirutae sunt, omnes multo sanius atque integrius usque ad nostram aetatem servati sint. Mihi vero aliud quiddam ad haec explicanda in mentem venit, quod proferam, etiamsi uno tantum testimonio confirmatur. Brigetione enim in lapide nominatur quidam *»decurio, qui magistrat«*, sc. in canabis[1]). Nisi fallor inde elucet in illo vico castrensi non magistros fuisse, sed decuriones ipsos magistrasse, fortasse certo ordine, qui ab universis decurionibus constituebatur. Hanc autem administrandi rationem non solum Brigetione, sed etiam aliis in vicis eiusmodi fuisse, atque inter hos Lambaesim et Verecundam, fortasse etiam Apulum, numerandas esse, nescio an conicere possim, ut vicorum castrensium in administrando duo genera habeamus, primum vicos a magistris duobus rectos (Aquincum, Troesmin, Asturicam), deinde eos, quibus decuriones ipsi ordine quodam magistrantes praefuisse videntur. (Brigetionem, Lambaesim, Verecundam, Apulum) (?).

Iam vero, quod omnibus in conventibus civium Romanorum et Orientis et Occidentis, sub principatu admodum usitatum fuisse perspeximus, in iis potissimum divos imperatores cultos esse eosque, qui ipsum principatum tenebant, titulis aut aliis honoribus affectos esse, id in canabis quoque, quibuscumque in terminis imperii conditae erant, apparet. Plurimos enim praeter titulos etiam statuas, arcus, aras, templa imperatoribus consecrasse incolas canabarum constat[2]). Sed varios quoque deos negotiatores, mer-

---

1) CIL III 4298 (app. n. 125). Conferatur ille in titulo Apulensi (ib. 1008 = app. n. 140), qui *»magistrans primus in canabis«* appellatur.

2) Durostori Iovi O. M. pro salute Antonini Pii templum ac statua consecratum est (CIL III Suppl. 7474 = app. n. 131), Troesmi, si modo titulus ille, qui legitur CIL III Suppl. 7597 (app. n. 135), ad canabas has recte refertur, templum et ara M. Aurelio Severo Antonino, qui vulgo Caracalla nominatur, ex usuris pecuniae, quae civibus ibi consistentibus a viro quodam aut ex testamento aut donatione tradita esse videtur. Lambaesi per leg. III Aug. arcus, si Wilmannsium sequimur, Commodo imperatori exstructus est (CIL VIII 2698).

catores, lixae, veterani ad castra consistentes venerabantur, velut titulos positos esse Mercurio[1]), Genio commercii et negotiantium[2]), de quo iam dictum est, Volcano[3]), Iovi atque Iunoni[4]), Libero Liberaeque[5]), Matri Deum magnae[6]), Deae Lunae[7]), Deo Vagodonnaego[8]), Genio canabensium[9]), Genio vici[10]) atque Lambaesi permulta templa[11]) exstructa esse accepimus, praecipue Aesculapio atque Saluti[12]), quorum aedes in nomen Iovis, Silvani, complurium deorum postea aucta est. Neptuno, Isidi atque Serapi, aras Fortunae Augustae, Iovi Dolicheno, Marti et Minervae aliisque. Atque hoc quidem in vico sacraria omnia fere a legione aedificata esse cognovimus, qua ex re varietas deorum cultorum iam satis explanatur. Nam milites legionis, qui omnibus ex regionibus omnibusque prope ex gentibus imperii oriundi in castris stipendia faciebant, deos suos e patria intulerunt. Adde, quod negotii gerentes undique confluxerunt, aut, velut in Daciam ex toto imperio ad agros colendos locaque ea, ex quibus indigenae erant expulsi, habitanda ab imperatoribus deducebantur. In vicis igitur eiusmodi, ubi homines diversissimarum terrarum communia domicilia collocabant, deorum cultus valde mixtos fuisse, cui mirum videri potest?

---

1) Mogontiaci: CIRh 956 (app. n. 119); Brigetione: CIL III 4298 (app. n. 125).

2) Brigetione: CIL III 4288.

3) Aquinci: ib. 3505 (app. n. 128).

4) Durostori: ib. Suppl. 7474 (app. n. 131); Troesmi: ib. 6166. 6162. 6167 (app. n. 132—134).

5) Apuli: ib. 1093 (app. n. 144).

6) ib. 1100 (app. n. 141).

7) Mogontiaci: CIRh 1130 (app. n. 121).

8) Asturicae: CIL II 2636 (app. n. 148).

9) Argentorati: CIRh 1891 (app. n. 122); Apuli: CIL III 1008 (app. n. 140).

10) Lambaesi: CIL VIII 2604 (app. n. 149); 2605 (app. n. 150); Verecundae: ib. 4194 (app. n. 158).

11) vide Wilmannsium in comm. in hon. Momms. p. 194—197.

12) Aesculapius et Hygia Apuli quoque prae ceteris colebantur (CIL III 972. 974—982. 984—986. 987. 993).

Neque vero illam sententiam, quam Mommsen[1]) attulit, magistros duos, quos canabis nonnullis praefuisse demonstravimus, nihil aliud, nisi sacerdotes vicorum fuisse comprobare possum. Nam magister, ut is ipse alio loco[2]) exposuit, non solum is nominatur, qui munus ad sacra pertinens gerat, sed etiam, qui privato collegio vel societati praesit. Quia igitur canabae, ut omnes congregationes civium Romanorum, erant privatae societates sine iure urbis, cives praepositi magistri recte dicebantur[3]).

Sed sicut vici civium Romanorum in occidente imperii parte ex conventibus orti, ita vici castrenses non per longum temporis spatium durabant, sed brevi, quoniam ratio primo saeculo usitata, qua, ut castra ac urbes Romanae eodem in loco exstarent, non concesserant imperatores[4]), a Traiano primo relicta erat, urbes ipsae fiebant, sive municipia, sive coloniae. Ac primus quidem vicus ad castra Vetera situs initio primi saeculi, nisi fallor, iam conditus, a Traiano, id quod ex nomine efficitur[5]), coloniae iure donabatur. In terris autem ad Danuvium quam celerrime ex canabis iis, quae omnes fere ineunte demum saeculo secundo constitutae erant[6]), urbes exstiterunt, quia in his novis regionibus imperio additis, ubi magna oppida non erant, hoc modo urbes condebantur. Carnuntum enim atque Aquincum, quoniam municipia Aelia in titulis vocantur, iam ab

---

[1]) l. l. p. 321 sq.

[2]) StR I³ p. 8 (cf. Paul. Diac. Fest. epit. p. 126).

[3]) cf. Bergk l. l. p. 509 adn. 1.

[4]) Hoc a Mommseno gravibus argumentis confirmatum Bergk (l. l. p. 504 sq.) refellisse mihi non videtur. Certe coloniam Traianam non e canabis ad castra Vetera natam esse perverse illo loco iudicatum est.

[5]) Itin. Anton. p. 370.

[6]) Carnuntum fortasse excipiendum est, quo Tiberii vel Claudii aetate legiones promotae esse videntur, quodque iam antea forum haud ignobile indigenarum fuerat (cf. Domaszewski, Arch. epigr. Mitteil. X p. 14). Sub Vespasiano certe castra stativa ibi collocata sunt, qua de re titulum imperatori huic dedicatum, quamvis mutilatum, servatum habemus (cf. Hirschfeld l. l. V p. 216 sqq.).

Hadriano[1]) haec nomina atque iura accepisse videntur; postea coloniae factae sunt a Septimio Severo[2]). Ab eodem imperatore Troesmis quoque ius municipii adepta est[3]), ab eius filio Caracalla Brigetio, quae Antoninianum municipium in titulo nuper reperto[4]) appellatur. Apulum iam sub Marco Aurelio et municipium et colonia fiebat[5]), ut duae urbes canabarum loco essent.

[1]) De Carnunto vide Mommsen. CIL III p. 550; l. l. p. 323; de Aquinco CIL III p. 439.

[2]) Carnunti L. Septimius Severus a. 193 imperator a leg. XIV consalutatus est, quamobrem municipium ad coloniae dignitatem a novo principe provectum esse videtur (cf. Arch. epigr. Mitteil. X p. 17).

[3]) Titulus CIL III Suppl. n. 7597 (app. n. 135) Caracallae dedicatus, ubi verba »*c(ives) R(omani) Clevant[ini?]*« leguntur, Hirschfeldio, ut mecum communicavit, nunc hoc modo explendus esse videtur: *c(ives) R(omani) C(anabenses) le(gionis) V. Ant(oninianae)*, qua ratione ad vicum castrensem Troesmi spectet. — Quamquam nonnulla obstare huic coniecturae is ipse vidit: illud primum, quod Mommsen statuit, sub Septimio Severo iam legionem V. Mac. in Daciam ante annum 195 (CIL III n. 905) abductam esse (CIL III p. 160, 232, 999). Sed fieri poterat, ut societati nomen Canabarum huius legionis, etsi castra reliquerat, servaretur. Multo vero gravius id obicitur, quod sub Severo Troesmin iam ius municipii accepisse ex titulo CIL III n. 6177 elucet.

[4]) Arch. epigr. Mitteil. X (1886) p. 109 n. 6.

[5]) Apulenses a Marco Aurelio intra annos 160—180 (cf. CIL III p. 959 n. 126 = app. n. 143; ib. III n. 986) ius municipii obtinuerunt. Sed mirum est, quod hoc in loco simul colonia Apulensis commemoratur. Eodem autem tempore quin et municipium sub IVviris et colonia sub IIviris exstiterit, maxime, postquam Hirschfeld (Epigr. Nachl. z. CIL III: Sitzungsber. d. Wiener Acad. 77 (1874) p. 388) lapidem illum edidit, in quo colonia ipsa quoque »*Aurelia*« dicitur, non dubium est. Itaque res se habuerit necesse est, ut Mommsen (CIL III p. 183) iam animo finxit, Marcum Aurelium et coloniam (scil. veteranorum) Apuli collocasse et »*eodem tempore antiquos Canabenses ad municipii Aurelii Apuli ius nomenque provexisse*«. Maximi vero momenti esset, quo Hirschfeld animos animadvertebat, si de locis iis, ubi tituli Apulenses eruderabantur, accurate certiores fieremus. Diversis enim in locis municipium coloniamque fuisse videri, coloniam fortasse propius ad castra leg. XIII, ubi hodie situs sit vicus Maros-porto, municipium in loco urbis Karlsburg. Itaque illud dubitatione non caret iam antea duos vicos Canabensium fuisse, velut Lambaesi praeter canabas ipsas Verecundam vicum, ut ex altero vico colonia, ex altero municipium Apulense fieret.

Melitenam autem ex canabis Vespasiani temporibus ortis Traianus iam ad urbis dignitatem promovit. Lambaesis vero, ubi vicum castrensem, non, ut Wilmanns demonstrare conatus est[1]), sub Marco Aurelio, sed sub Antonino Pio una cum Verecunda constitutum esse verisimile videtur[2]), ad municipii condicionem primis annis Septimii Severi imperatoris pervenit[3]), Verecunda fortasse demum Valeriani atque Gallieni temporibus[4]). Sub Diocletiano denique, ut iam significavimus[5]), Mogontiacum administrationem municipalem adepta est, eademque aetate, nisi fallor, Argentoratum, quod quidem Ammianus Marcellinus[6]) una cum Mogontiaco municipium vocat. Hac fere aetate omnes canabas in urbes commutatas fuisse opinor, ut hoc quoque genus congregationum vel vicorum civium Romanorum in imperii terminis ad castra stativa consistentium, quamquam pauci diutius manebant, quam societates in interioribus imperii partibus constitutae, tamen certe ineunte quarto saeculo p. Chr. n. finem habuerit.

---

[1]) l. l. p. 197 sq.

[2]) vide quae Mommsen disseruit CIL VIII p. 423.

[3]) Ephem. epigr. VII p. 120 n. 390. Decem fere annis antea, quam Wilmanns (l. l. 199) opinatus est (a. 207), municipium Lambaesitanum constitutum esse hoc titulo docemur.

[4]) CIL VIII n. 4219 et p. 423.

[5]) cf. pag. 86. Iam sub Probo Mogontiacum ad urbis dignitatem provectam esse eamque coloniam (propter titulum CIRh. 1002, quem Mommsen et Becker ad castellum Mattiacorum (Castel) referunt cf. Hermes VII p. 325 adn. 4 et Becker l. l. p. 14) non municipium factam esse, Bergk (p. 513 sq.) demonstrare frustra conatus est.

[6]) Ammian. XV 11. 8 (XVI 2. 12).

APPENDIX.

Componuntur provinciae, regiones, urbes, loca, ubi civium Romanorum congregationes inveniuntur.

(Uncis quadratis [ ] comprehenduntur ea loca, ubi, etsi cives Romani constitisse traduntur, tamen eos inter se consociatos fuisse non constat.)

in **Italia:** Capua. (inde ab anno 544/210.)

Cic. pro Sest. IV 9; Caes. bell. civ. I 14. 5; III 21. 5; Cic. ep. ad Att. XV 3. 1.	*conventus Capuae.* *conventus Campanus.*

in **Sicilia:**

Diod. fr. XXXIV 27. 32—34; CIL X 6950; Cic. in Verr. l. II 6. 15; III 5. 11; V 61. 158.	

Halaesa.

1. CIL X 7459. cf. Cic. ad fam. XIII 32. 1.	*Italicei.*

Syracusae.

Liv. 29. 1. 16; Cic. Verr. l. II 29. 70; III 13. 32; 59. 136; IV 25. 55; 29. 67; 31. 70; 61. 137; V 36. 94; 43. 113; 59. 155 (cf. I 5. 14); 60. 156; II 62. 153.	*conventus civium Romanorum Syracusis.* *conventus Syracusanus. conventus Syracusis.* *negotiatores, qui Syracusis negotiantur.*

Panormus.

Verr. l. V 54. 140; II 62. 153 (cf. V 62. 161).	*conventus Panormitanus.* *negotiatores, qui Panormi negotiantur.*

Lilybaeum.

Verr. l. V 5. 10*; II 62. 153.	**civitas Lilybaetana..... maximusque conventus civium Romanorum.* *negotiatores, qui Lilybaei negotiantur.*

Agrigentum.

Verr. l. IV 43. 93; II 62. 153.	*cives Romani, ... permulti in illo oppido.* *negotiatores, qui Agrigenti negotiantur.*

[Messana.]

Verr. l. IV 11. 26; V 63. 163.

[in **Sardinia**:]

Liv. 32. 27 (a. 556/198).

in **Achaia**:

Cic. in Pis. 40. 96; Plut. v. Sull. 17; Cic. ad Fam. XIII 17; 26. 2; 22. 1; 50. 1.

Argi.

2. CIL III 531 (tit. dedicatus est Q. Caecilio Metello consuli a. 685/69).	*Italici, quei Argeis negotiantur.*
3. CIL III 532 = Suppl. 7265 (a. 687/67).	*Italicei, quei negotian[tur Argeis], Ἰταλ[ικοί ...*
4. Le Bas-Foucart I 2 n. 124a.	*Ἰταλοὶ οἱ] πραγματευ[όμενοι ἐν]Ἄργει.*

Mantinea.

5. Le Bas-Foucart I 2 n. 352f.	*Ἁ πόλις τῶν Ἀντιγονέων καὶ Ῥωμαῖοι πραγματευόμενοι ἐν αὐτᾷ.*

Elis.

6. Dittenberger, Arch. Ztg. (1877) p. 38 (rep. Olympiae) cf. Cic. ad fam. XIII 26. 2.	*Ἡ πόλις ἡ τῶν Ἠλείων καὶ Ῥωμ[αῖοι] οἱ ἐνγαροῦντες.*

Megara.

6a. *Ἀθήναιον* II (1873) p. 481 sq.

(?) Athenae.

7. CIL X 7350 (rep. Thermis Himeris in Sicilia).	*c(ives) R(omani) et A]thenienses.*

[Zacynthus ad sin. Euboicum.]

Appian bell. mithr. 45.	*.....τινῶν Ῥωμαίων, οἳ ἐπεδήμουν.....*

in **Macedonia**:

Cic. in Pis. 40. 96; Caes. bell. civ. III 102. 2.

Beroea.

8. Delacoulonche, rev. des soc. sav. 5a (1858) p. 791 n. 33 (L. Calpurnius Piso, qui tit. honoratur, erat procos. Mac. a. 697/57).	*Βεροιᾶοι καὶ οἱ ἐνκεκτημένοι Ῥωμαῖοι.*

Edessa.

9. Le Bas I 2 n. 1345.	*Ἡ πόλις [κ]αὶ οἱ συμπρα[γ]ματευόμενο[ι] Ῥωμαῖο[ι].*

in **Thracia:**

cf. Cic. ad. fam. XIII 53. 1. 2.

Sestus.

10. Bull. d. c. Hell. IV (1880) p. 516.	*ὁ δῆμος, οἱ πραγματευόμενοι Ῥωμαῖοι.*

in **insulis maris Aegaei:**

Delus.

11. CIL III Suppl. 7218 = Bull. d. c. Hell. I p. 285 (medio vel exeunte saeculo secundo a. Chr. n. pos.).	..... *magistres Mircurio et Maia donum d(e) s(uo).* ..... *οἱ Ἑρμαϊσταὶ Ἑρμεῖ καὶ Μαίαι.*
12. ib. 7217 = Bull. d. c. Hell. VIII p. 96.	..... *οἱ Ἑρμαϊσταὶ Ἑρμεῖ καὶ Μαίαι τὸν ναό[ν.*
13. ib. 7212 = Bull. d. c. Hell. VIII p. 118 (cf. p. 144).	..... *magist]rei porticum.* *οἱ Ἑρμαϊσταὶ Μ* .....
14. ib. 7213.	
15. ib. 7215 (cf. 7216).	
16. ib. 7223 = Bull. d. c. Hell. VIII p. 145.	
17. ib. 7226 = Bull. d. c. Hell. l. l. p. 181.	*mag(istri) fac(iunda) cur(avere).*
18. ib. 7227 = Bull. d. c. Hell. l. l. p. 144 et 184 (a. 676/78).	
19. ib. 7228 = Bull. d. c. Hell. XI p. 268 (cf. etiam ib. 7224. 7225).	..... *magis(tri)* .....
20. Bull. d. c. Hell. IV p. 190 = Dittenberger, Syll. inscr. gr. I n. 250 (a. 657/97).	*Ἑρμαϊσταί, Ἀπολλωνιασταί, Ποσειδωνιασταὶ οἱ γενόμενοι ἐπὶ ὑπάτων* ..... *Ἡρακλεῖ καὶ Ἰταλικοῖς.*
21. Bull. d. c. Hell. VIII p. 145 (a. 680/74).	..... *(XII nomina) Ἑρμαϊσταὶ καὶ Ἀπολλωνιασταὶ καὶ Ποσειδωνιασταὶ γενόμενοι Ἀπόλλωνι καὶ Ἰταλικοῖς.*
22. Bull. d. c. Hell. I p. 87—88.	..... *(XI nomina) Ἑρμαίῃ (sic) καὶ Ἀπόλλωνι.*
23. Bull. d. c. Hell. IV p. 219.	*Ἰταλοὶ καὶ Ἕλληνες.*

24. ib. V p. 463 (titulos 23 et 24 dedicatos esse medio fere saeculo secundo a. Chr. n. Homolle l. l. iudicat).	*Ἀθη]ναίων καὶ Ῥωμαίων καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων οἱ κατοικοῦντες καὶ παρεπιδημοῦντες ἐν Δήλῳ.*
25. ib. V p. 391 (ex saeculo fere altero exeunte a. Chr. n.; Homolle l. l. VIII p. 116).	*Ἰταλικοί.*
26. ib. VIII p. 123 (a. 643/111).	*Ἀθηναίων οἱ κατοικοῦντες ἐν Δήλῳ καὶ οἱ ἔμποροι καὶ οἱ ναύκληροι καὶ Ῥωμαίων καὶ τῶν ἄλλων ξένων οἱ παρεπιδημοῦντες.*
27. CIGr 2286 (eiusdem aetatis).	*Ἀθηναίων καὶ Ῥωμαίων καὶ τῶν ἄλλων ξένων [οἱ] κατοικοῦντες καὶ παρεπιδημοῦντες ἐν Δήλῳ.*
28. ib. 2285 b (tit. intra annos 644/110—654/100 positus).	*Ῥωμαίων οἱ ἐν Δήλῳ ἐργαζόμενοι.*
29. Bull. d. c. Hell. VIII p. 119.	*Ῥωμαίων οἱ ἐν Δήλῳ ἐργαζόμενοι καὶ κατοικοῦντες.*
30. ib. p. 128 (cf. p. 488) (tit. ca a. 100 a. Chr. n. dedicatus).	*Φιλόστρατος Φιλοστράτου τραπεζιτεύων ἐν Δήλῳ Ἀπόλλωνι καὶ Ἰταλικοῖς.*
31. CIL III Suppl. 7225 = Bull. d. c. Hell. VIII p. 145 (temp. fere belli mithridat. primi) cf. ib. 7224 et Bull. d. c. Hell. XI p. 269 n. 32.	*M. Orbius M. f. Mag(ister) Italiceis.*
32. ib. 7237 = Bull. d. c. Hell. III p. 147 (L. Licinius Luc. quaestor ab annis 666/88 aut 667/87 usque ad a. 674/80, tum Asiam pro quaestore administravit.	*L. Licinium L. f.] Lucullum pro q(uaest.) P[opulus Athe]niensis et Italicei et Graece[i que]i insula negotiantur.*
33. ib. 7240 (A. Terentium Varronem eum esse, qui a. 679/75 repetundarum accusatus est, Mommsen opinatur [cf. Homolle Bull. d. c. Hell. VIII p. 148]).	*A. Terentium A. [f. Varronem] Italicei et Graecei, quei [Deli consistunt].* *Α]ὖλον Τερέντιον Αὔλου υἱὸν . . . . . Ἰταλικοὶ καὶ Ἕλληνες οἱ κατ[οικοῦντες.*
34. ib. 7214.	} *fragmenta, ubi nomina »Italiceis« vel »Ἰταλικοῖς« leguntur.*
35. Bull. d. c. Hell. XI p. 268.	
36. Ephem. epigr. V n. 1428 (in lucerna).	*Romanis.*
37. CIGr 2287 (a. 696/58 secundum Homoll. Bull. d. c. Hell. VIII p. 149).	*Ἀθηναίων καὶ [Ῥωμ]αίων οἱ κατοικοῦντες ἐν Δήλῳ καὶ οἱ ἔμποροι καὶ οἱ ναύκληροι.*

38. Bull. d. c. Hell. III p. 151 = Dittenb. Syll. I n. 267 (Homolle Bull. d. c. Hell. VIII p. 149 tit. positum esse intra annos 52—42 a. Chr. n. conicit; sed Schoeffer (l. l. p. 219 sq.) hoc negat, ut mihi videtur summo iure).	*Ἀθηναίων καὶ Ῥωμαίων καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων οἱ κατοικοῦντες ἐν Δήλῳ καὶ οἱ παρεπιδημοῦντες ἔμποροι καὶ ναύκληροι.*
39. Bull. d. c. Hell. III p. 156 (tit. eiusd. aetatis ac n. 38, si Homollium sequeremur. Sed Schoefferi sententia nobis probatur).	*Ἀθηναίων καὶ Ῥωμαίων καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων οἱ κατοικοῦντε[ς ἐν Δήλῳ καὶ οἱ] παρεπιδημ[οῦντες] ἔμποροι καὶ ναύκληροι.*
40. ib. VIII p. 175 (rectius de huius tit. aetate Schoeffer l. l. iudicasse videtur).	*Ῥωμαίων καὶ Ἀθηναίων καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων οἱ κατοικοῦντες ἐν Δήλῳ καὶ ἔμποροι καὶ ναύκληροι οἱ καταπλέοντες εἰς τὴν νῆσον.*
41. ib. III p. 371.	*Ἀ]θηναίων καὶ Ῥωμαίων καὶ τῶν [ἄλλω]ν ξένων οἱ κατοικο[ῦντες καὶ παρ]επιδημοῦντες [ἐν Δήλῳ ἔμπο]ρο[ι κ[αὶ οἱ ναύ[κληροι.*
42. ib. III p. 373.	*Ἀθηναίων καὶ Ῥωμαίων καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων οἱ κατοικοῦντες ἐν Δήλῳ καὶ οἱ καταπλέοντες εἰς τὴν νῆσον ἔμποροι καὶ ναύκληροι.*
43. CIGr 2288.	*Ἀθ]ηναίων καὶ Ῥ[ω]μαίω[ν καὶ τ]ῶν ἄλλων ξένω[ν οἱ κα]τοικοῦντες καὶ [πα]ρεπιδημοῦ[ν]τες ἐν Δήλῳ.*
44. Bull. d. c. Hell. IV p. 220.	*Ἀθ]ηναίων οἱ κατοικοῦντες ἐν Δήλῳ καὶ Ῥωμαίων οἱ παρεπιδημοῦντες.*
45. ib. p. 221.	*Ἀθηναί[ων οἱ κατοικοῦντες καὶ Ῥωμαίων] οἱ παρεπιδ[ημοῦντες.*
46. ib. X p. 37.	*Ὁ δῆμος ὁ Ἀθην]αίων [καὶ Ῥωμαίων οἱ κατοικοῦ]ντες τὴν νῆ[σον ....*
47. ib. XI p. 262 (cf. etiam ib. p. 267 n. 28; 269 n. 32. n. 33; p. 272 n. 35; p. 273; ib. VI p. 326; p. 342; p. 346; p. 497; p. 500; VII p. 370).	*Ἀθηναίων καὶ Ῥωμαίων καὶ τῶν ἄλλων ξένων οἱ κατοικ]οῦντε[ς καὶ παρε]πιδημοῦντε[ς ἐν Δ]ήλῳ.*

Lesbus: Mytilene.

48. CIL III 455 (a. 723/31).	*cives Romani, qui Mytileneis negotiantur.*

Methymna.

49. Bull. d. c. Hell. IV p. 433.	*Ὁ] δᾶμος καὶ οἱ Ῥωμαῖοι.*
50. Mitteilungen d. deutsch. arch. Inst. z. Athen XI (1886) p. 287.	*Ὁ δᾶμ]ος καὶ οἱ Ῥω[μαῖοι.*

Chius.

51. CIGr 2222 = Dittenb. Syll. I n. 276 cf. App. bell. mithrid. 47. — *οἵ τε παρ' αὐτοῖς ὄντες Ῥωμαῖοι*

Cos.

51a. Paton and Hicks, The inscriptions of Cos (1891) n. 344. — *. . . τοὶ κατοικεῦντες ἐν τῷ δάμῳ τῶν Ἁλεντίων καὶ το[ὶ] ἐνεκτημένοι καὶ τοὶ γεωργεῦντε[ς] ἐν Ἅλεντι καὶ Πέλῃ(ι), τῶν τε πολειτᾶν καὶ Ῥωμαίων καὶ μετοίκων . . .*

[Rhodus.]

Dio Cass. 60. 24.

Creta: Gortyna.

52. Ephem. epigr. VII p. 425 n. 5 (cf. CIL III n. 4) (a. 195 p. Chr. n.). — *c(ives) R(omani), q(ui) G(ortynae) c(onsistunt), ex summa, quam intulit pro decurionatu suo Fl(avius) Titianus . . . . . curante L. Naevio Exacesta . . . . . c(uratore) c(ivium) R(omanorum) G(ortynae) c(onsistentium).*

in **Asia** provincia proconsulari.

Cic. de imp. Pomp. VII 18; ep. ad Qu. fr. I 1. 12, 16, 49; Caes. bell. civ. III 32; Cic. pro rege Deiotaro IX 26; App. bell. mithr. 23; Dio Cass. fr. 115 ed. Sturz I p. 107; Plut. v. Sull. 24; Memnon. hist. c. 31. 4; Cic. ad fam. XII 15. 1; XIII 43. 1; 56. 1. 2; Hor. sat. I7; Act. Ap. II 10; CIL X 1797.

Cyzicus.

53. CIL III Suppl. n. 7061. — *c(ives) R(omani), qui Cyzici [consistunt] et Cyzi[ceni.*

54. Mitteil. d. deutsch. arch. Inst. zu Athen VI p. 41. — *Ὁ δῆμος] ὁ Κυζικηνῶ[ν καὶ οἱ πραγματε]υόμενοι ἐν τῇ [πόλει Ῥωμαῖοι.*

Lampsacus.

Cic. in Verr. l. I 27. 69. — *cives Romani, qui Lampsaci negotiabantur.*

App. bell. civ. V 137. — *Λάμψακον ἐκ προδοσίας κατέλαβεν (Sextus Pompeius), ἣ πολλοὺς εἶχεν Ἰταλοὺς ἐξ ἐποικίσεως Γαΐου Καίσαρος,*

Ilium.

55. Le Bas-Waddington, inscr. d'Asie min. n. 1743 n cf. CIGr 3598 b et 3614. — *οἱ σκηνεῖτα[ι] καὶ ἐργασ[ταὶ οἱ] Ῥωμαῖοι οἱ ἐν Εἰ[λ]ίῳ.*

Assus.

56. Le Bas-Waddington l. l. n. 1034 a = Sterrett, Papers of the American school I p. 45 n. 20. — *οἱ ἐν Ἄσσῳ] πραγματευόμενοι Ῥω-[μαῖοι.*

57. Eph. epigr. V p. 155 (a. 37 p. Chr. n.). — *ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τοῖς πραγματευομένοις παρ' ἡμῖν Ῥωμαίοις καὶ τῷ δήμῳ τῶν Ἀσσίων καταστα θῆναι πρεσβείαν ἐκ τῶν πρώτων καὶ ἀρίστων Ῥωμαίων τε καὶ Ἑλλήνων . . . . .*

58. Sterrett, Papers I p. 30 n. 13. — *Ὁ δῆμος καὶ οἱ πραγματε[υόμενοι παρ' ἡμῖν Ῥωμαῖοι.*

59. ib. p. 32 n. 14 I. — *Ὁ δῆμος καὶ οἱ πραγματευόμενοι παρ' ἡμῖν Ῥωμαῖοι.*

60. ib. p. 33 n. 14 II. — » » »

61. ib. p. 45 n. 19. — » » »

62. ib. p. 46 n. 21. — » » »

63. ib. p. 55 n. 28. — *. . . . . δεδόχθαι τῇ [βουλῇ καὶ τῷ δ]ήμῳ καὶ τοῖς πραγματευομ[ένοις παρ' ἡμῖν Ῥ]ωμαίοις ἐπηνῆσθαι . . . . .*

[Adramytium.]

App. bell. mithr. 23.

Pergamum.

64. Jahrb. d. königl. preufs. Kunstsamml. III (1882) p. 86. — *Ὁ δῆμος καὶ οἱ κατοικοῦντες Ῥωμαῖοι.*

Cic. pro Flacco 29. 71; App. l. l.

Smyrna.

Cic. l. l.

Erythrae.

65. Bull. d. c. Hell. IV 161. — *οἱ πρ]α[γ]ματευόμενοι [Ῥωμαῖοι.*

66. Le Bas-Wadd. l. l. n. 50. — *οἱ Ῥωμαῖοι.*

Teus.

67. Bull. d. c. Hell. IV p. 179 sq. — *Ὁ δῆμος [Τ]ηί[ων]. Ὁ δῆμος ὁ Λεβεδίων. οἱ ν[έ]οι. Ὁ δῆμος Κλαζομενίων. Οἱ Ῥωμαῖοι.*

Ephesus.

68. Le Bas-Wadd. l. l. n. 143 cf. Mitteil. d. deutsch. archäol. Inst. z. Athen XIV (1889) p. 101 et Ephem. epigr. V p. 38 App. l. l.; Dio Cass. 51. 20. — *οἱ κ[ατοικοῦντες Ῥωμαῖ]οι* (aliter explevit Boeckh CIGr 2961).

Tralles.

69. CIL III 444. — .....*civibus Romanis] Trallibus consisten[tibus.*

70. CIGr 2930. — *Τὸ φιλοσέβαστον σύ]στημα τῆς γερουσίας καὶ οἱ φιλοσέβαστοι νέοι καὶ οἱ ἐν Τράλλεσ[ι] Ῥωμαῖοι ἐτείμησαν Τιβ. Κλ. Πάν[ν]υχον ..... κουρατορε[ύ]σαντα τῶν Ῥωμαίων.*

71. Bull. d. c. Hell. V p. 347. — *Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ ..... καὶ οἱ ἐν Τράλλεσι [πραγματευόμενοι Ῥωμαῖοι.*

72. CIGr 2927. — .....*καὶ οἱ ἐν Τράλλεσι κ]α[τ]οι[κοῦν]τες Ῥωμαῖοι ἐτείμησαν.*

73. Sterrett, Papers I p. 108 n. X = Mitteil. d. deutsch. archäol. Inst. z. Athen VIII p. 328. — *Γ. Ἰούλι]ον Κλαυδιανὸν ..... γραμματεύσαντα καὶ τῆς φιλοσεβάστου γερουσίας καὶ φιλοσεβάστων νέων καὶ Ῥωμαίων.*

cf. Sterrett, an epigr. journey in Asia m. II p. 325 n. 379 et p. 326 n. 380 = Mitteil. d. deutsch. arch. Inst. z. Athen XI p. 204; Cic. l. l.; App. l. l.

[Priene (ad templum Minervae)].

74. CIGr 2906.

[Stratonicea (ad templum Hecatae Laginae)].

75. Bull. d. c. Hell. V p. 191 = XI p. 146 n. 47.

76. ib. p. 147 n. 48.

77. ib. p. 148 n. 51 (vide etiam p. 150).

(ad templum Iovis Panamari.)

78. Bull. d. c. Hell. XII p. 255.

[Caunus.]

Appian l. l.

Cibyra.

79. Bull. d. c. Hell. II p. 598. — *Ὁ δῆμο[ς κα]ὶ οἱ πραγματευόμενοι Ῥωμαῖοι.*

80. ib. p. 599 = XIII p. 333 adn. 1. — *Ὁ δῆμος κ]αὶ οἱ ἐνταῦθα [πραγματευόμε]νοι Ῥω[μαῖ]οι.*

81. ib. XIII p. 333. — *Ὁ δῆμος καὶ οἱ πραγματευόμενοι ἐνταῦθα Ῥωμαῖοι.*

Usuftcha.

82. Sterrett, an epigr. journ. II p. 37 n. 36. — *Ὁ δῆμος καὶ οἱ πραγματευόμενοι ἐνταῦθα Ῥομ[αῖ]οι.*

Apamea.

83. CIL III 365. — *cives Romani], qui Apameae negotiantur.*

84. Rev. archéol. XII p. 221. — *Ἡ βουλὴ κ[αὶ ὁ δῆμος καὶ οἱ] κατοικοῦ[ντες Ῥωμαῖ]οι.*

85. Mitteil. d. deutsch. archäol. Inst. z. Athen XVI (1891) p. 147. — *Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ οἱ κατοικοῦντες Ῥωμαῖοι.*

86. ib. p. 148. — *Ὁ δῆμος καὶ οἱ κατοικοῦντες Ῥωμαῖοι.*

Thyatira.

87. Bull. d. c. Hell. X (1886) p. 422. — *..... κουρατορεύσαντα τοῦ τῶν Ῥωμαίων κονβέντου.*

Traianopolis.

88. CIGr 3874. — *..... κ[α]ὶ οἱ κατο[ι]κοῦντ[ες Ῥω]μαῖοι.*

Prymnessus.

89. CIL III Suppl. 7043. — *Prymness(enses) et c(ives) R(omani), [qui ibi nego]tiantur.*
Ὁ δῆμος καὶ ο[ἱ κατοικοῦν]τες Ῥωμαῖοι.

Νᾶος in Phrygia (ubi hodie exstat vicus Ineh).

90. Ramsay: Journal of Hell. stud. IV (1883) p. 432 n. 42 (a. 88 p. Chr. n.). — *..... οἱ ἐν Νάει κατοικοῦντες Ῥωμαῖοί τε καὶ .....*

in **Bithynia:** Nicaea.

Dio Cass. 51. 20. — *..... τοῖς Ῥωμαίοις τοῖς παρ' αὐτοῖς ἐποικοῦσιν .....*

[in **Ponto.**]

Hirt. bell. Alex. 41; 70, 5—7.

[in **Lycia.**]

Dio Cass. 60. 17.

in **Pisidia:** Conana.

91. Sterrett, The Wolfe Exped. III p. 339 n. 473. — *Ἡ]βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ οἱ κατ[οικοῦντες Ῥωμαῖοι.*

[Termessus.]

lex Ant. de Term. col. II lin. 20.

Isaura.

92. Bull. d. c. Hell. XI p. 67 n. 46. ad 92 et 93 conferatur, quae p. 45 sq. disserui.

Ἰσα]υρέων ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος οἵ τε συμπολειτευόμενοι Ῥωμαῖοι.

93. Sterrett, The Wolfe Exped. III p. 107 n. 181.

Ἰσαυρέων ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος οἵ τε συνπολιτευόμενοι Ῥωμαῖοι.

[in **Cilicia**]:

Cic. ep. ad Att. V 21. 8; Tac. ann. XII 55.

Cyprus.

Caes. bell. civ. III 103; Cic. ep. ad Att. V 21. 6. (cf. etiam CIL X 3847.)

Salamis.

94. CIL III 6051.

Cives Rom]ani, qui in Salam[ine negot]iantur.

in **Syria**:

Tac. ann. II 82. 14 (cf. CIL X 1797).

Antiochia.

Caes. bell. civ. III 102. (cf. Dio Cass. 68. 24.)

..... consensu omnium Antiochensium civiumque Romanorum, qui illic negotiarentur.

in **Palaestina**: Hierosolyma.

Ioseph. Ant. Iud. XIV 5. 2 (cf. 6. 2).

οἱ ἐνταῦθα Ῥωμαῖοι.

[in **Mesopotamia**]: [Ctesiphon].

Dio Cass. 68. 30 (a. 115 p. Chr. n.).

..... πάντας μὲν τοὺς Ῥωμαίους, πάντας δὲ τοὺς Πάρθους τοὺς ἐκεῖ τότε ὄντας .....

in **Aegypto**: Alexandria.

95. CIL III Suppl. 7241.

Alexandreae Italicei, qui fuere [ibi cum eo ....]

Οἱ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ [σὺν αὐτῷ γενόμενοι Ἰταλικ]οί.

96. Bull. de. cor. Hell. VIII p. 107 (a. 628/126). cf. CIL X 1797.

Ῥωμαίων οἱ εὐεργετηθέντες ναύκληροι καὶ ἔμποροι ἐν τῇ γενομένῃ καταλήψει Ἀλεξανδρείας.

in **Africa,** provincia proconsulari:

Cic. pro Ligario VIII 24; Vell. II 11. 2; Sall. Iugurtha 65. 4; Cic. in Verr. l. I 5. 14; V 59. 155. cf. Cic. ad fam. XII 26. 1; 27; 29. 2.

Carthago.

App. Lib. 92.

Utica.

Sall. Iug. 64. 5; Cic. in Verr. I 27. 70; Val. Max. IX 10. 2; Caes. bell. civ. II 36*; Auct. b. Afr. 68; 90; Plut. Cato m. 59 et 61. Dio Cass. 43. 10.

**Erat in oppido..... Uticenses..... conventus is, qui ex variis generibus constaret.*

conventus Uticensis.

Hadrumetum.

Auct. bell. Afric. 97.

... Adrumetinis HS XXX, conventui eorum H SL.

Thapsus.

ib.

Thapsitanis HS XX conventui eorum HS XXX.

Forum Thysdrus.

Auct. bell. Afric. 36.

..... a negotiatoribus Italicis aratoribusque.

[Zama.]

ib. 97.

Vaga.

Sall. Iugurtha 47, 1.

ubi et incolere et mercari consueverant Italici generis multi mortales.

Masculula.

97. Ephem. epigr. V n. 597.

conventus civium Romanorum et Numidarum, qui Mascululae habitant.

(?) Aubuzza.

98. ib. n. 638.

cives Romani, qui] Aubuzza consistunt.

in **Numidia:** Cirta.

Sall. Iug. 26. 3.
cf. etiam Eph. epigr. V n. 813, ubi commemorantur Tipasae »*cives Romani cultores Larum et Imaginum Aug.*« sub Hadriano imperatore.

Italici; c. 21. 3 nominantur »*togatorum multitudo*«.

in **Hispaniis:** in **Baetica:**

Caes. bell. civ. II 18. 4; Hirt. bell. Al. 56. 4;

Corduba.

Caes. l. l. II 19. 3; 21; Hirt. bell. Al. 57. 58. 59. — *Cordubae conventus. conventus Cordubensis.*

Hispalis.

Caes. l. l. II 20. — *quod factum adeo eius (scil. Hispalensis) conventus cives Romani comprobaverunt.*

in **Tarraconensi:** Bracara Augusta.

99. CIL II 2423. — *cives Romani, qui negotiantur Bracara Augusta.*

in **Galliis:** in **Narbonensi:**

Cic. pro Fonteio V 11 (I 1); 13 (3); VI 15 (II 5); XIV 32 (X 22); XX 46 (XVI 36); Sall. Catil. 40. 1; Diodor V 27. — *referta Gallia negotiatorum est, plena civium Romanorum.*

Brigantio.

100. CIL XII 94. — *civib]us Romanis de conv[entu civi]um Ro[manorum.*

in **Aquitania:**

101. A. Allmer: Musée de Lyon. II p. 367. — *summus curator c(ivium) R(omanorum) provinc(iae) Aquitaniae.*

[Arverni.]

Dio. Cass. 40. 33.

Petrocorii.

102. Revue épigr. du midi de la France I 3 (1878) n. 54. — *c(urator) c(ivium) R(omanorum).*

103. ib. n. 55. — » » »

104. ib. n. 56. — » » »

Santones.

105. ib. II 54 (1889) n. 780. — *. . . primo c(uratori) c(ivium) R(omanorum).*

Auscii.

106. ib. I 20 (1882) n. 333. — *. . . . cur(atori) c(ivium) R(omanorum).*

in Lugudunensi:

107\. Boissieu, inscr. de Lyon p. 160 = Allmer, Musée de Lyon II p. 362 n. 144. — *summus curator c(ivium) R(omanorum) provinc(iae) Lug(udunensis).*

[Aedui]:

Caes. bell. Gall. VII 38.

Cabillonum.

ib. VII 42. — *(cives Romani), qui negotiandi causa ibi constiterant.*

Noviodunum.

ib. VII 55. 5. — *(cives Romani), qui eo negotiandi causa convenerant.*

[Carnutes]: Cenabum.

ib. VII 3. 1. — *(cives Romani), qui negotiandi causa ibi constiterant.*

in Belgica:

cf. Caes. bell. gall. I 1.

[Treveri.]

Tac. ann. III 42.

Helvetii (in Germania sup.).

108\. Mommsen inscr. Helv. 133. — *c(urator) c(ivium) R(omanorum) conventus Hel(vetici).*

109\. ib. 122. — » » »

110\. CIL XII 2618 (rep. Genavae). — » » »

111\. Association pro Aventico. Bull. III (1890) p. 48—50 = Anz. f. Schweiz. Altertumsk. 1891 1. p. 429. — » » »

112\. CIL XII 2564 (incerti loci). — *..... accens[us] consularis, cur[a]tor civium Roman(orum).*

in Illyrico:

Liv. 40. 42. 4.

Salonae.

Caes. bell. civ. III 9. — *conventus Salonis.*

Hirt. bell. Alex. 43. 2. — *oppidum maritimum, quod cives Romani fortissimi fidelissimique incolebant.*

Narona.

113\. CIL III 1820. — *mag(istri) Naro(nae) ..... quaestores.*

Lissus.

Cáes. bell. civ. III 29; 40. — *conventus civium Romanorum, qui Lissum obtinebant.*
cives Romani, qui eius conventus erant.

Nauportus.

Tac. ann. I 20. — *municipii instar.*

114. CIL III 3776. — *.....mag(istri) vici aedem Aequor(nae) de vi(canorum) s(cito) f(aciendam) coir(averunt).*

115. ib. 3777. — *.....mag(istri) vici de vic(anorum) s(cito) portic(um) f. coir.*

in **Raetia:**

116. CIL III 5212. — *cives Romani [e]x Italia et aliis provinciis in Raetia consistentes.*

in **Britannia:** Londinium.

Tac. ann. XIV 33. 3 (a. 61 p. Chr. n). — *cognomento quidem coloniae non insigne, ssd copia negotiatorum et commeatuum maxime celebre.**)

Restat, ut enumerentur conventus ad castra stativa sub imperatoribus constituti, qui vulgo canabae nominantur:

in **Germaniis:**

cf. Dio Cass. 53. 26; 54. 20; Tac. hist. IV 15. 12—16.

in Germania **inferiore:** ad castra Vetera
(ab ineunte primo saeculo usque ad Traianum).

Tac. hist. IV 22. — *opera longae pacis in modum municipii extructa.*

in Germania **superiore:** Mogontiacum
(ab ineunte primo saeculo usque ad Diocletianum).

117. Jahrbücher d. Vereins v. Altertumsfreunden im Rheinland 67 (1879) p. 4 (a. 43 p. Chr.). — *cives Romani manticulari negotiatores.*

118. CIL V 5747. — *C. Sertorius.... vet. leg. XVI, curator civium Romanor(um) Mogontiaci.*

---

*) Adn.: In lapide Veronensi (CIL V 3376/7), ubi leguntur »*con. civium Rom.*«, quae vulgo supplentur con(ventus) civium Rom(anorum), literas CON pro COH false a quadratario inscisas esse verisimillimum mihi videtur.

119. CIRh 956 (a. 198 p. Chr. n.). *q(uaestor), c(urator) c(ivium) R(omanorum) m(anticulariornm) neg(otiatorum) Mog(ontiacensium)* vel *Mog(ontiaci).*

120. ib. 1067. *vet(eranus) ex sig(nifero) leg(ionis) XXII pr. p. f. Alexandrianae..... adlectus in ord[i]n[e]m c(ivium) R(omanorum) Mog(ontiaci).*

121. ib. 1130 (a. 276 p. Chr. n). *d(ecurio) c(ivium) R(omanorum) Mog(ontiaci).*

Argentoratum

(ab exeunte saeculo primo fortasse usque ad Diocletianum).

122. ib. 1891. *.....[G]enio vici Ca[n]abar(um) et vi[ca]nor(um) Canabensium.*

Aquae Helveticae

(hoc nomen loci integrum fuisse videtur cf. Corresp.-Bl. d. Westd. Zeitschr. 8 (1889) p. 136—143, hodie Baden ad urbem Helveticam Zürich).

Tac. hist. I 67. *longa pace in modum municipii extructus locus, amoeno salubrium aquarum usu frequens.*

123. Mommsen, inscr. Helv. 261. Vindonissae rep. *n]egotia[tores sals(?)]ari leg[uminari (?) ci]ves Ro[mani.*

in **Pannoniis:** in Pannonia **superiore:** Carnuntum

(usque ad Hadrianum).

124. Ephem. epigr. II n. 328. *civis Romanus Carnuntiensis.*

Brigetio (usque ad Caracallam).

125. CIL III 4298. *dec(urio) Bri(getione), qui magistrat.*

126. ib. 4309. *Brig(etionenses) publice d(ecreto) d(ecurionum).*

127. ib. 4355. *dec(urio) Brig(etione).*

in Pannonia **inferiore:** Aquincum

(usque ad Hadrianum).

128. CIL III 3505. *vet(erani) et [c(ives)] R(omani) co(n)s(istentes) ad leg. II Ad., curam agent[i]b(us) Val(erio) Respecto et Utedio Max[i]m[i]no ma[g(istris)]*

128a. Desjardins: Monum. épigr. du musée national Hongrois n. 180 = Ephem. epigr. II n. 711. *M. Furio Po[l(lia?)] Rufu cana[b(ensi)]* (vide, quae Mommsen Eph. epigr. l. l. adnotat).

vicus, ubi hodie situm est opp. Stuhlweifsenburg.

129. Ephem. epigr. IV n. 425. ..... *Canabens(es) pu[b(lice)].*

Vetussalinae.

130. Archäol. epigr. Mitteil. XIV (1891) p. 54 n. 11 = CIL III Suppl. (ined.) n. 10305. ..... *civib(us) R(omanis) [qui consistun]t Vetuss(alinis)* vel *[qui consistunt ad Intercisam e]t Vetuss(alinas).*

in **Moesia inferiore:** Durostorum.

131. CIL III Suppl. 7474. ..... *c(ivibus) R(omanis) et consistentibus in canabis Aelis l(e)g. XI Cl.*

Troesmis (usque ad Septim. Severum).

132. CIL III 6166. ..... *C. Val(erio) Pud(ente) vet(erano) le(gionis) V Mac. et M. Ulp(io) Leont(io) mag(istris) Canabe(nsium) et Tuc(cio) Ael(iano) aed(ili) d. d. vet(erani) et c(ives) R(omani) cons(istentes) ad canab(as) leg. V M.*

133. ib. 6162. ..... *P. Val(erius) Clemes et L. Cominius Val(ens) vet(eranus)* leg. V. M. ma[g(istri)] et L. Val(erius) Crispus aedilis .....*

*Mommsenus: *vet(erani);* sed vide n. 6166.

134. ib. 6167. *c(ives) R(omani) Tr[oesmi consistentes].*

135. ib. Suppl. 7597. *c(ives) R(omani) C(anabenses) le(gionis) V. Ant(oninianae).*

cf. quae p. 95 adnotavi.

136. CIL 774 = 6182. *ordo Troesmensium.*

137. ib. 775 = 6183. » »

138. ib. 776 = 6195. » »

cf. etiam CIL III Suppl. 7505.

139. Archäol. epigr. Mitteil. XIV (1890) p. 19 titulus rep. in vico Hassarlik, ubi antiquum oppidum Cius situm erat. (Quamquam pro explorato habendum non erit, hunc titulum ad civium Romanorum vicum spectare, quia etiam fieri potuit, ut veteranus ille in vico quodam indigenarum magister factus esset). *[Genio] vici .... C. Iulius Vale(n)s veter(anus) leg(ionis) V Maced(onicae) mag(ister) vici .....*

in **Dacia:** Apulum
(a Traiani aetate usque ad Marcum Aurelium).

140. CIL III 1008. (hunc tit. »prope accedere videri ad aetatem Traiani« iudicat Mommsen CIL III p. 182). — *Fortunae Aug. sac. et Genio Canabensium L. Silius Maximus v[et(eranus)] leg. I Ad. p. f. magistra(n)s primus in Can(abis) d. d.*

141. ib. n. 1100 (tit. positus ante saeculum sec. medium. vide Mommsen. l. l.). — *dec(urio) Kanab(ensium) leg. XIII g.*

142. ib. p. 940 sq. (a. 142 p. Chr. n.). — *Act(um) Kanab(is) leg. XIII g.*

143. ib. p. 959 n. 126 (a. 160 p. Chr. n.). — *. Act(um) Kanab(is) leg. XIII g.*

144. ib. n. 1093. — *... d[e]curio Canabensium.*

145. ib. n. 1158. — *... aedis custos c(ivium) R(omanorum) leg(ionis) XIII.*

146. ib. n. 1214. — *.... quond(am) dec(urioni) [K]anabarum.*

cf. etiam titulos incerti loci CIL III Suppl. 7533 et CIL III 4850.

in **Britannia:** Isca (?).

147. CIL VII 105 (cf. Mommsen, Herm. VII p. 308 n. 19 et adn. 2 — ex literis tituli apparet eum aetate fere Antonini Pii positum esse cf. Hübner, Monatsber. d. Berl. Ak. 1866 p. 798). — *vete[rani et ho[mines (?) ad] leg. II A[ug(ustam) cons(istentes)]*
vide pag. 88 adn. 4.

in **Hispania Tarraconensi:** Asturica.

148. CIL II 2636. — *..... resp(ublica) Ast(urica) Aug(usta) per mag(istros).*

in **Numidia:** Lambaesis
(ab aetate Antonini Pii usque ad initium imperii Septimii Severi).

149. CIL VIII 2604. — *Genio vici.*

150. ib. 2605. — » »

151. ib. 2695 (anni 166 p. Chr. n.). — *.... resp(ublica)] Lamb(aesitanorum) d(ecurionum) d(ecreto).*

152. ib. 2592. — *.... respubl(ica) Lamb(aesitanorum) d(ecurionum) d(ecreto).*

153. ib. 2594. — » » »

154. ib. 2617. — *.... res]public(a) [La]mbaesitanorum [d(ecurionum)] d(ecreto).*

155. Ephem. epigr. VII p. 118 n. 382 cf. ib. etiam n. 373 et n. 410. — *r]esp(ublica) Lambae(sitanorum).*

156. CIL VIII n. 2740 (a. 163 p. Chr. n.). — *... [d(ecurionum)] d(ecreto) p. p.*

Verecunda

(ab Antonino Pio usque fere ad Valeriani atque Gallieni temp.).

157. CIL VIII 4199 (a. 147/8 p. Chr. n.). *Possessores vici Verecundensis.*
158. ib. 4194. *Genio vici August(orum).*
159. ib. 4205 (a. 160—164). . . . *vic[o] Augustor[um] Verecundens(ium) . . . . . d(ecurionum) d(ecreto) p. p.*
160. Ephem. epigr. V n. 413 n. 785 (a. 162). *r]es publica Verecundensium.*
161. CIL VIII n. 4206 (a. 163/4). *res pu]blica Verecunde[nsium.*
162. ib. 4210 (sub Marco Aurelio). *res publica Verecund(ensium).*
163. ib. 4218 (a. 240). » » »
164. ib. 4192. . . . . *ordo Verecun(densium).*

cf. 4187; 4196; 4197; 4243.
decuriones vici: n. 4205; 4202; 4190; 4209; 4212; 4213; 4215; 4216; 4228; 4229, 4230; 4232.
flamines perpetui: n. 4194; 4187; 4196; 4197; 4243.
patroni vici: n. 4232 (a. 163/4); 4209 (a. 172); 4230 (a. 188); 4252.
princeps: n. 4249.

in **Cappadocia:** Melitene

(a Vespasiani aetate usque ad Traiani).

Procop. de aedif. III 4.

in **Ponto:** Phasis ad Caucasum

(saeculo secundo p. Chr. n.).

Arrian. peripl. Pont. Eux. 9. 12.
(cf. Procop. bell. Goth. IV 2 p. 466).

ADDENDA.

Cum iam dissertationem hanc typographo tradidissem, Mitteisi liber (Reichsrecht und Volksrecht in den östl. Prov. des röm. Kaiserreichs. Leipzig 1891) mihi in manus venit, in quo libro caput quintum (p. 143—158) inscriptum est »Römische Bürger in den Provinzen«, quo quantum ad iura Romana per totum imperium propaganda hi valuerint, demonstratur. Agitur cum de Romanorum in provinciis coloniis, de provincialibus iis, qui stipendiis vel magistratibus vel alio modo civitatem Romanam assecuti erant, tum de civibus Romanis in provincias immigrantibus ibique consistentibus (p. 143—145 et p. 149—151). p. 144 adn. 4 M. eorum in Orientis terris congregationes, quas cognovit, enumerat, inter quas societatem Romanorum Megarae consistentium mihi ignotam attulit. Sed ut in appendicem reciperem, fieri potuit. Magnopere autem mea intereat, quid sibi velle formulam »conventus civium Romanorum« ille vir doctissimus crederet. Liceat mihi in hac re difficillima eius verba ipsa afferre: »Es läſst sich leicht erkennen, daſs diese conventus eine organisirte Corporation, gewissermaſsen ein Patriciat in der Gemeinde zu bilden pflegten, welches sich von den übrigen kaufmännischen Landsmannschaften wie an Zahl so auch an Ansehen und politischer Bedeutung abhob« (p. 149).

Ceterum ex eius libro haec adnotanda videntur:

ad p. 29: De titulo Gortynensi assentitur (p. 150) Mommseno atque etiam inde concludit cives Romanos alicubi consistentes omnino in decurionum ordines urbium peregrinarum adlegi potuisse.

ad p. 40: vide quae p. 132 et adn. 4 de albo iudicum in provinciis, fortasse usque ad Severi aetatem, statuendo M. exposuit.

ad p. 47: de civibus Romanis in civitatibus liberis consistentibus afferenda sunt verba eius p. 86 et adn. 5, p. 87 et adn. 3.

ad p. 79 adn. 1: De titulo CIL III 1500 miram sententiam protulit (p. 150 et adn. 4), cuius auctor C. Gooss libello inscripto »Die römische Lagerstadt Apulum«, Hermannstadt 1878, quem inspicere non potui, fuit nisi fallor. Nam primum nescio, qua de causa lapidem illum intra annos 110—130 positum esse putet, deinde, cur, si titnlus re vera ad hoc tempus pertineret, congregatio civium Romanorum intellegenda sit, quoniam tantum »negotiatores provinciae Apulensis« nominantur.

Restat ut ad ea, quae in capite secundo de iure ac condicione civium Romanorum in provinciis dixi, addam id quod M. ex tit. Le Bas-Foucart Inscr. du Pelop. 243a lin. 26sqq. p. 151 affert.

CORRIGENDA.

p. 6 v. 9 *pro* socium venominisve *l.* sociumve nominisve.
p. 14 adn. 3 v. 8 *pro* templum veneris *l.* templum Veneris.
p. 21 v. 5 *pro* numeromultis *l.* numero multis.
p. 22 v. 8 *pro* intet se *l.* inter se.
p. 23 v. 26 *pro* barbarn *l.* barbara.
p. 30 v. 6 *pro* Delos *l.* Delus.
p. 35 v. 27 *pro* apud Helvetios. Soli genio *l.* apud Helvetios Soli genio.
p. 41 v. 4 *pro* amplissimis *l.* amplissimos.
p. 43 adn. 2 v. 4 *pro* Romanis *l.* Romanos.
p. 47 v. 5 *pro* praecendunt *l.* praecedunt.
p. 48 v. 13 *pro* Cycicus *l.* Cyzicus.
p. 58 v. 1 *pro* epimeletas. — Athenienses honorant *l.* epimeletas Athenienses honorant.
ib. v. 25 *pro* exepto *l.* excepto.
p. 60 v. 15 *pro* magistri *l.* magistris.
p. 61 v. 8 *pro* Romanam *l.* Romanum.
p. 64 adn. 3 v. 2 *pro* dux Achaeorum *l.* rex Macedonum.

ARGUMENTUM.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1) Aerariorum census, antequam in tribus recepti sunt, quomodo antiquissimis liberae reipublicae temporibus institutus sit, non constat.

2) Comitia centuriata iam a decemviris in posteriorem formam redacta esse Soltau (Altröm. Volksversamml. p. 361—371) perperam contendit.

3) Equites Romanos non in foro, ubi tantum recognitio equitum habebatur, sed in campo Martio censos esse mihi persuasum est.

4) Numeris civium Romanorum sub Augusto Claudioque censorum non, ut Beloch (Bevölkerung der griech.-röm. Welt p. 375 sqq.) iudicat, mulieres liberique continentur, sed formula »civium Romanorum capita tot« his temporibus eandem vim habet ac reipublicae liberae aetate.

5) Versus Horatii (sat. I. 6. 19—22) male distinguendo Nipperdey (opusc. p. 480 sq.) sententiam poetae disturbavit.

6) Locutionem »quid loquar de« apud Ciceronem non modo praeteritionis, quam dicunt, formulam esse, id quod M. Seyffert (scholae latinae p. 49 sqq. et p. 88) arbitratur, sed etiam ad rem amplificandam usurpari comprobatur his locis: or. post red. in sen. XII 30; de harusp. resp. XII 24; XIX 41; de fin. V 19. 50; Phil. XI 2. 6; 13. 34; in Verr. act. II 1. 129.

VITA.

Ernestus Kornemann natus sum d. XI. m. Octobr. h. s. a. LXVIII in oppido provinciae Hasso-Nassoviae, quod vocatur Rosenthal, patre Julio, matre Margaretha e gente Schudt, quibus superstitibus adhuc gaudeo. Fidei evangelicae addictus sum. Primis elementis discendi imbutus in ludo urbis patriae, cum parentes Gissas domicilium transtulissent, gymnasium, quod ibi rectore Hermanno Schiller floret, adii ab a. LXXVIII usque ad a. LXXXVII. Postquam mense Martio eius anni testimonium maturitatis nactus sum, inter cives academicos universitatis Ludovicianae Gissensis receptus studiis philologicis atque historicis operam dedi per quinquies sex menses; unde auctumno a. LXXXIX ad Friderico-Guilelmam universitatem Berolinensem transmigravi.

Audivi vv. dd. Oncken, Philippi, de Ropp, Io. Schmidt, — E. Curtius, Delbrück, Dessau, Diels, Dilthey, Hirschfeld, Huebner, Kiepert, de Richthofen, Scheffer-Boichorst, E. Schmidt, de Treitschke, Vahlen, Zeller.

Exercitationibus Gissensis proseminarii philologici tum a Dettweilero, viro amicitia mecum coniunctissimo, recti per duo semestria, seminarii sub vv. dd. Philippi et Io. Schmidt per tria semestria, eodemque tempore exercitationibus historicis atque geographicis Onckeni interfui; Berolini philologicis Vahleni atque Huebneri fructus sum, historicis et epigraphicis Mommseni et Hirschfeldii.

A. Hirschfeldio commotus atque omni modo summaque benignitate adiutus hanc dissertationem conscripsi. Ei potissimum una cum omnibus illis viris illustrissimis maximam gratiam habeo semperque habebo.